image
not
available

Digitized by Google

Digitized by Google

2°

Digitized by Google

<36636742480016

<36636742480016

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MUENCHEN

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
ACADEMIAE
FRIDERICIANAE
ERLANGENSIS

QVA

PRAETER EIVS ORIGINEM

SOLEMNIA DEDICATIONIS SACRA

EVENTVSQVE PROXIME SECVTI

REFERVNTVR

ADDITA SVNT SCRIPTA

TAM PVBLICA QVAM PRIVATA

ACADEMIAE CAVSA CONCEPTA.

ERLANGAE EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA.

CIↃ IↃ CCXXXXIIII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

SACRA INAVGVRATAE IIII. NOV. cIɔIɔccXLIII. ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS SOLEMNIA

PERILLVSTRIS DIRECTOR. ACADEM.
IVSSV DESCRIPTA

A

IO. GVILIELMO GADENDAM
I. V. ET PH. D.

FRIDERIC. PROCANCELLARIO COM. PALAT. CAES. SERENISS.
MARGGRAVII REGNANTIS CONSILIARIO AVL. IVRIS ET
HISTORIAR. PROF. P. ORD.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGI DVCI PORVSSIAE SILESIAE MAGDEBVRGI CLIVIAE IVLIACI MONTIVM STETINI POMERANIAE CASSVBIORVM VANDALORVM MEGAPOLEOS ET CROSNAE BVRGGRAVIO NORIBERGAE PRINCIPI HALBERSTADII MINDAE CAMINI VANDALIAE SVERINI RACEBVRGI MEVRSIAEQVE COMITI HOHENZOLLERANO ET MARCAE RAVENSBERGAE ITEMQVE SVERINI DOMINO RAVENSTEINII ROSTOCHII STARGARDIAE

CETERA

CIRCVLI FRANCONICI SVPREMO BELLI DVCI ET PRAEFECTO TRIVM LEGIONVM ET COHORTIVM

PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO
LONGE CLEMENTISSIMO

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

Digitized by Google

SERENISSIME MARGGRAVI
PRINCEPS ET DOMINE CLEMENTISSIME


RECTOR AC NVTRITOR MAGNIFICENTISSIME
MVNIFICENTISSIME

Erlangae, et, quae ibi eſt, Academiae, mentio fieri plane non poteſt, quin gloriae TVAE memoriam repetat terrarum orbis, opusque illud TVVM admiretur. Cui cum monimentum quoddam ſtatui iuſſerit pietas, id iam, qualecumque fuerit, TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, ſubmiſſa animi ueneratione oblatum, deuouemus. Impares quidem propoſito noſtri ſunt conatus; quis autem TANTI PRINCIPIS imaginem aſſequi cogitatione, aut EIVS gloriam mente concipere poteſt? Itaque, ſi nihil maius audere licet, uirtutem TVAM uenerabunda intuetur et colit, ſummaeque TVAE clementiae praeſidiis ſolis ſalutem ſuam committit, quae uere TVA eſt

SERENISSIME MARGGRAVI
PRINCEPS ET DOMINE CLEMENTISSIME

ACADEMIA FRIDERICIANA.

Digitized by Google




Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORIBVS AEQVIS ET BENEVOLIS S.

Insignes euentus, et res aetate noſtra praeclare geſtas, literarum monimentis conſignare, et poſteritatis memoriae commendare, non ſolum pulchrum eſt, ſed etiam iucundum, neque minus utile. Quis igitur eiusmodi laborem ſubterfugeret, ſi forte commoda ſe obtulit occaſio illius conficiendi? omnes enim ad comparandam nobis gloriam pariter propenſi ſumus, pariterque procliues. Verum enim uero ſectari illam quidem licet uniuerſis, quam aſſequi paucis contingit: quapropter actam fruſtra operam ſaepius haud ita aegro animo ferre ſolent homines, quam ſpem, ingenti animo olim conceptam, irritam cecidiſſe, grauiter et moleſte meminerunt. Quae cum ita ſint, timeo ſane, quemadmodum expediturus ſim id, quod aggredior, quippe qui conſilia primo, deinde acta, denique euentus, quibus FRIDERICIANA noſtra feliciter conſtituta eſt, explicare debeo. Debeo, inquam, mandato obtemperare, poſtquam recuſare non licuit, quod libenter deprecatus eſſem. Quare excuſatione potius utar aduerſus eos, ſi quos forte inuitus offendero narrationis ordine, non ſatis concinno, quod terminus abſoluendae hiſtoriae nimis anguſtus fere ab hoc die praefinitus eſt, aut oratione parum eleganti, rebusque geſtis minus congrua, quod eloquentiae ſtudium, aliis impeditus negotiis, perſequi, elegantiasque uenari, nequeo. Laudem profecto non aucupor, ſatis habeo, dummodo ingenii mei foetus ferantur; ceterum temeraria fiducia obedire malui, quam ſollicita dubitatione aduerſari. Dab. Erlangae prid. Kal. April. cIↄIↄCC XXXXIIII.



ACADEMIAE FRIDERICIANAE ORIGO.

Fridericiana noſtra ab inconſiderato et praecipiti conſilio auſpicium ſuum minime tulit, ſed conſultae potius diuque exploratae deliberationi debet, et debere profitetur originem. SERENISSIMI CHRISTIANI ERNESTI, Patris olim Patriae, cuius glorioſam memoriam ſanctiſſime ueneramur, cogitationes, Magno Principe digniſſimas, quas de inſtituenda Academia ſuſceperat, in praeſenti explicare, non conſtitui, ne ſeriem rerum, altius repetitam, fruſtra nectere fortaſſe uidear. Meditatus ille eſt, animoque uoluit eadem, quae ſoli FRIDERICO, PIO, FELICI, noſtris temporibus perficienda, prouidum Numen indulſit. Supereſt Collegium Illuſtre Byruthinum, quod ex CHRISTIANI ERNESTI inſtituto nomen inuenit, principium olim et fundamentum quaſi maioris operis ſuperſtruendi, licet uel temporum eorum ratio, uel alia negotia, quibus implicatus fuit diuus Princeps, uel disiuncta uariorum, in contrarias partes euntium, conſilia impedimento forſitan fuerint, quin deſtinatum animo propoſitum minus effecerit. Quod quidem cauſa eſſe uidetur, cur in literis publicis, quibus illius Collegii firmitatem tum ſtabiliuit, liberam reliquerit poteſtatem successoribus sereniſſimis emendandi, augendi, amplificandi inſtituti ratio-

nem

nem, prout commodum iudicauerint, dummodo reditus annui, perpetuique, munifice et abundanter donati, ad alios uſus, niſi ad promouenda literarum ſtudia non adhibeantur, quippe quod expreſſa lege ſanciuit. (a) Illuſtre hoc Collegium, ubi ab initio doctores aliquot publici literas quidem elegantiores, et altiorum ſtudiorum elementa, ſolide tradiderunt, breui tempore tantae commendationis et famae gloria pollere coepit, ut, propter Profeſſorum auctoritatem, atque iuuenum ex peregrinis regionibus concurſum, cum celeberrimo illo Gymnaſio illuſtri Gothano de palma fere certare, uideretur. Neque deſunt nomina Illuſtrium uirorum et fama celebrium, Collegii Chriſtian-Erneſtini albo inſerta, ex quo diiudicari poteſt, quantos illud et quot olim alumnos tulerit, adeo, ut aequum et neceſſarium uiſum fuerit, doctorum et praeceptorum numerum de nouo augere. Verum enim uero ipſum illud, quod ſpem opinionemque bonam in animis hominum excitare debebat, ad detrimentum Collegii haud parum fortaſſe attulit. Namque maior profeſſorum copia id plerumque ſolet efficere, ut alter, fretus collegae alterius diligentia, muneri ſuo, uti par eſt, minus ſatisfaciat, ex quo tandem diſſidia acerba, et diuerſa partium ſtudia, enaſci, conſtat. Inter haec literarum ſtudioſi adoleſcentes peſſimis exemplis nutriri, integrae fidei praeceptores amore reuerenter proſequi, contra ſegnes ad agendum uiros, et fictis tantum laruis doctores ludentes bonos, ludibrio habere et dicteriis proſcindere, conſueuerunt. Nihilo tamen minus de primatu inter ſe utraque pars ſaepius contendit, et, quod uirtute non poteſt, inſidiis altera efficere conatur. An hac ratione res eo tandem deducta ſit, neſcio, ut, licentiae laſciuae frenis ſemel laxatis, Collegio Chriſtian-Erneſtino quam primum turpis imminere ruina uideretur: quippe peregrini paulatim diſcedentes locum quidem

(a) Datae ſunt eae literae et diui CHRIST. ERNESTI ſubſcriptione firmatae Byruthi, XXVII. Iulii, cIↄIↄCCIII.

fecerunt aduenis recipiendis, qui diu expectati ſunt fruſtra. Mouit id incommodum Perilluſtres quosdam, in gubernanda re publica SERENISSIMO PRINCIPI adminiſtros, ut de diſciplina integranda, reſtituendoque Collegii priſtino ſplendore ſerio cogitarent, proptereaque cum Illuſtri et ſumme Venerando CYPRIANO conſilia ſua communicarent, et ſimul ab eo noua ſibi expeterent, quibus ſerpenti malo medicina eo magis certa adhiberetur: nec defuit ſummus Theologus, ſed Gymnaſii Gothani rationem amice noſtris impertiuit. Ibi tum pariter, atque hic, non nihil conqueſti ſunt, quamuis ea ſchola, ſi quidem ex ciuium ſtudioſorum numero iudicare licet, noſtram multis partibus ſuperaret, ita, ut inſtituta Gothana noſtris uix bene quadrarent. Interiectis annis aliquot poſt ea ſemel iterumque delectis quibusdam uiris ſpeciatim ea cura commiſſa eſt, ut in cauſam afflictae conditionis, qua Collegium laborabat, ſedulo inquirerent, rationemque proponerent, quomodo proſtrata res ſcholaſtica commode reparari poſſe uideretur, qui, inter ſe conuenientes, SERENISSIMO PRINCIPI auctores fuerunt, ut integram Collegii curam uni ſoli demandaret. Itaque haec prouincia Viro Perilluſtri, DANIELI DE SVPERVILLE, cuius, praeter inſignem dexteritatem, incorruptam fidem SERENISSIMVS PATRIAE PATER dudum perſpectam habebat, tandem obtigit; qui, collapſam Gymnaſii fortunam inſtaurare ſuſcipiens, relicta uia, qua olim itum erat, maiora mox moliri coepit.

SCHOLARVM publicarum abundantia ſane non ſola efficit, ut ſtudia literarum propagentur, neque iis, ad ſolidae eruditionis fundamenta dilatanda, plurimis neceſſario opus eſt. Principum autem pietatem, ſummumque erga doctrinae incrementa amorem certe teſtificantur, ubi frequentiores occurrunt, quapropter non ſolum Collegium Chriſtian-Erneſtinum, ſed gymnaſia quoque, Curianum et Erlan-

langenſe, cum Schola Neoſtadienſi ad Aiſſum documenta Germaniae praebent haud interitura, quales quantosque PRINCIPES Sereniſſima Stirps Brandenburgo-Culmbacenſis ediderit. Attamen ſapientiſſima Optimorum Principum conſilia facile eluduntur, liberalesque impenſae, in res ſalutares erogatae, perperam adminiſtrantur, niſi illi, quorum fidei atque probitati propoſiti executio tradita eſt, ipſi res peragendas curae habere uelint, aut ſi iuuenes praefracta licentia in propriam perniciem forte ruant imprudentes. Idem antehac apud nos eueniſſe, ſtudioſos iuuenes literarum fundamentis non ſatis imbutos, ſed principiis potius neceſſariis deſtitutos, in Academiam properaſſe, poſtea cruda ſtudia patriae citius obtruſiſſe, adeoque SERENISSIMORVM PRINCIPVM inſtitutis atque expectationi plane non fuiſſe ſatisfactum, ipſe declarauit luculenter PATER PATRIAE clementiſſimus. (b) Inter haec accidit, quod ſaepe euenire ſolet, ut ampliſſimae dotes, in Collegium Chriſtian-Erneſtinum olim collatae, cum et ſumtus neceſſarios excedere, et utilitati exoptatae minus inſeruire, uiderentur, ad alia translatae, magna ex parte auferrentur. Aſt Perilluſtris DE SVPERVILLE perſpectum iamiam et exploratum habebat, ſufficere eas uel collegio multo ampliori, uel ipſi adeo Academiae erigendae et ſuſtentandae, ſi omnia rite reſtituerentur, quae diuus CHRISTIANVS ERNESTVS Muſis olim deſtinauerat. Is igitur ſuaſor et impulſor fuit SERENISSIMO FRIDERICO, PATRI PATRIAE OPTIMO, CLEMENTISSIMO, Academiae conſtituendae, quod unum decus Franconiae noſtrae euangelicae adhuc deeſſe uidebatur. Qui in academiis uitam degunt Profeſſores et Doctores publici, non lucri, ſed gloriae cauſa potiſſimum, ingenii neruos, quantum fieri poteſt, eo intendunt, ut ſtudiorum opportunitati, utilitatique publicae, quam

(b) In Edicto, inſtituendae Academiae cauſa, promulgato Byruthi XIIII. Mart. cIↃIↃCCXLII.


maxime conſulant, quapropter nemo ibi, niſi Profeſſoris honore plane indignus, ex turpi inertia uoluptatem capiet. Quae ratio utique apud aequos iudices (iniquos minus curamus) ualebit, cur Perilluſtri DE SVPERVILLE nouae Academiae conſtitutio ante omnia cordi fuerit. Ne tamen inſtitutum diui CHRISTIANI ERNESTI abolitum obliteratumque intercideret, Illuſtre Collegium Byruthinum, in paullo aliam quidem formam redactum, ſimul conſeruari, et de nouo inſtaurari, aequum iuſtumque uiſum eſt. Hanc ob cauſam reditus, Gymnaſio Heilbronnenſi olim attributi, facta inter Sereniſſimas domus, CVLMBACENSEM atque ONOLDINAM, diuiſione, retracti ſunt, quo magis, eoque commodius, et Academia, et Collegium, nutriri poſſent.

PRIVS uero, quam ulterius progediar, de Academia equeſtri, quae olim hic floruit, pauca monenda eſſe, cenſeo, ne huius nomen obliuioni plane tradere uideamur.

ERLANGA urbs, quam potius Erlangas uocares, coeli clementia, et aëris ſalubritate, et amoenitate ſitus, et ſoli fertilitate, felix, duobus ex oppidis conſtat, quorum alterum uetus, alterum nouum, appellare ſolemus. Illud, quod antiqua monumenta produnt, uetuſtate ſua ſaecula ſatis remota attingit, quippe iam CIƆCCC, in uici quidem modum exſtructum, nobili familiae dynaſtarum de Wolfsberg ſubiectum, et ab his paulo poſt Comitibus de Caſtello uenditum id fuiſſe, reperimus. Poſt ea IOANNES II., Burggrauius Noribergae, Erlangam ab Hermano, Caſtelli Comite, titulo emti obtinuit CIƆCCCXXVI. *, ex quo tempore felici SERENISSIMORVM MARGGRAVIORVM imperio paret. Aucta deinde eſt urbis iuribus, et ornata priuilegiis a CAROLO IV., Romanorum Imperatore, CIƆCCCLXXIIII., licet diu antea capitale iudicium, et ſupplicia ſtatuta, iam exercuerit,

* Confidimus uetuſti cuiusdam documenti fragmento, cum diplomata in preſenti deficiant.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

cuerit. (c) Fama eſt perantiqua, continua narrationis traditione ab integro ſaeculo iam celebrata, regionis tractum uniuerſum circa Erlangam accurate propemodum exprimere ſpeciem illius plagae, ubi olim regia Iudaeorum ſuperbum caput extulit. Comparare ſolent hac ratione collem ab urbis moenibus, ꝺ. circiter paſſibus diſtantem, (d) cum olio ueto, uicum Eſſebach, ad eius radices ſitum, cum Bethphage, uallem circa Siglizhofen, cum ualle Ioſaphati, amnemque Suobacum, qui iſtam interfluit, cum Cedrone flumine, praeter ea locum quemdam, Martinsbuhel dictum, et huic conterminam uallem cum Golgatha et ualle Ben-Hinnom conuenire putauit is, qui, poſtquam deuaſtatam Hieroſolymorum gloriam curioſe perluſtrauerat, ſimilitudinem patriae, quod ad locorum ſitum et terrae ſpeciem attinet, popularibus ſuis laeto animo quondam declarauit. Noua urbs, quae CHRISTIANI Erlangae nomine celebratur, licet ſtructurae concinnitate et aedificiorum ordine illam longe ſuperet, antiquitate tamen originis eidem multum cedit. Haec enim CIƆIƆCLXXXVI. demum aedificari coepta eſt, ubi diuus CHRISTIANVS ERNESTVS inſigni hominum multitudini, religionis cauſa e Galliae prouinciis profugae, ſecurum refugium et certa domicilii iura conceſſit, ita, ut patriam non perdidiſſe, ſed extra ſolum natale optimum Patriae Patrem inueniſſe, uideantur. Tanta pietate tamque praeclare fundatae ciuitati proſperrima atque certa ſalutis incrementa defutura, putares? Verum exules illos et extorres ſuis finibus non tantum recepit, ſecuroſque praeſtitit CLEMENTISSIMVS PRINCEPS, ſed plura etiam multoque illuſtriora gratiae documenta addidit, adhibendo curam, ut noua urbs ad exactas architectonicae artis regulas, nitide, commode et ſcite exſtrueretur.

(c) Ita nobis aliunde certo conſtat, quamuis documenta antiquiora inter tabulas publicas noſtrae urbis non reperiantur.

(d) *Burgberg* appellare conſueuerunt eum montem.

Digitized by Google

tur. Itaque oppidi uicos ne latum quidem unguem a regula aberrare, conſtat. Reliqua commoda et priuilegia, Gallis noſtris larga manu quondam attributa, lubens praetereo, ne a propoſito nimis aberrem (e). Fingat ſibi quis Gallorum elegantiam, Germanorum hominum modeſtia temperatam, tum de moribus ciuitatis noſtrae iudicium recte formabit: neque tamen noua Erlanga a Gallis habitatur integra, ſed Germanis plurimis intermixta eſt, quos urbis ſplendor, aut mercaturae commoditas, aut morum elegans libertas allexit. Quam ob cauſam ueterem urbem noua colonia uel ter exaequat, quamuis aedificia habitatoribus uacua non inuenias, nec moenia menſuram olim deſtinatam adhuc compleant. Denique ſi gallico ſermone delectaris, Galliam longius non quaeres, ſi Germanus es, patriam apud nos inueniſti, utramque gentem binis oppidis iidem muri continent.

CHRISTOPHORVS ADAMVS GROS DE TROCCAV, nobilis quidam liber e Francorum natione, eiusque coniux, SOPHIA FRIDERICA, e nobili LENDERSHEMIORVM familia, ingentes eo tempore opes ſibi comparauerant, et, quod omni prole carebant, praeter eaque GROSIO DE TROCCAV agnatus non ſupererat, neque ipſius uxorem propinqui et neceſſarii, ut decet, aeſtimare uidebantur, de collocandis diuitiis propter mortis caſum aequo animo uterque cogitauerant. Ideoque SOPHIA FRIDERICA LENDERSHEMIA maritum, forte ſuperſtitem, omnium bonorum, ab ipſa profectorum, ex aſſe heredem primo inſtituit (f), idque conſilium deinde iterum expreſſa uoluntate confirmauit (g). Duo haec teſtamenta ſecutum eſt

(e) Ea latius exhibet *La Declaration de Son Alteſſe Sereniſſ. Monſeigneur CHRISTIAN ERNEST, Marcgrafe de Brandebourg* &c. &c. *contenant XXV. Articles, concernant les Reformés refugiés* &c. *de* 15. *Août.* 1687.

(f) Teſtamento facto in Trautskirchen, XXIX. Iun. cIↃIↃCLXXXVII.

(g) Teſtamento altero, facto in uilla Trentel, XXVII. Decemb. cIↃIↃCXCVI.

eſt tertium (h), et quidem reciprocum, quo uterque coniux, qui uita prior exceſſerit, alterum ex aſſe heredem eſſe iubet, ea tamen lege, ut Baro GROS DE TROCCAV, utpote probabili ratione uxori ſuperuicturus, opes uniuerſas nobilium iuuenum educationi, inſtitutionique liberali, templis aedificandis atque ornandis ſcholis, teſtamento legitime aliquando deuoueret, cui etiam ipſa, ſi ſors praeter opinionem aliter cecidiſſet, obſtricta eſſe uoluit. Huic propoſito ut eo citius ſatisfieret, Generoſiſſimus GROSIVS nouam Erlangam praecipue commodam ſtudiorum equeſtrium ſedem fore, ratus, aedes academicas, hisque adiacens templum, Sophiae dicatum, ibi exſtruxit, et nouo teſtamento Academiae equeſtri facultates ſuas legauit (i). Quemadmodum autem diuus CHRISTIANVS ERNESTVS haec GROSII inſtituta conſenſu ſuo ab initio ſtatim approbauerat: ita etiam academiae poſthaec impenſe fauit, neque minus eam opibus ipſe auxit, ſiquidem CIↃ. imperiales ei quotannis adſignauit, ex portoriorum reditibus a publicano Bruckenſi ſtatis temporibus ſoluendos. Mentionem quidem GROSIVS fecit in poſtremis teſtamenti tabulis (k), horologii pretioſiſſimi, quod, poſtquam, ita iubente SERENISSIMO, AVGVSTAE MARGGRAVIAE quondam donatum eſſet, effeciſſe putat, ut diuus CHRISTIANVS ERNESTVS CIↃ. imperiales academiae equeſtri quotannis ſoluendos ſtipulatus fuerit: nobis uero, quibus diui PRINCIPIS ingenium melius nouiſſe, contigit, exploratum et perſuaſum eſt, non ualuiſſe apud EVM magis commodum priuatum, quam ſalutem publicam, atque adeo promiſſum pactumque concedimus, ſed horologii cauſa tantum, perfectum illud eſſe, negamus. Hiſce primordiis ſtetit olim Academia equeſtris, quae tamen breui tempore ab origine ſua famam nomenque ſatis dilatauit, et iuuenum

C

(h) Trentel, d. XXIX. Mart. CIↃIↃCXCVIIII.

(i) Hoc teſtamentum fecit Erlangae, III. Aug. CIↃIↃCXCVIIII.

(k) Erlangae, XXIII. Maii, CIↃIↃCCXVIII.

num nobilium celebritatem quandam nacta eſt. Attamen ea rurſus decreſcere coepit, cum, LENDERSHEMIA mortua, GROSIVS uxorem iterum duxiſſet ZOBELIAM A GIBELSTAT, huiusque gratia penitus fere infirmaſſet inſtituta priora, facto teſtamento (l), quo, paucis academiae reſeruatis, uniuerſa fere eius bona ZOBELIAE uiduae ita deſtinantur, ut iis, quoad uiueret, libere utatur fruatur, ipſa defuncta, in Academiam equeſtrem demum reciderent. Praeterea aeris quoque alieni haud parum imminebat, neque minus complura alia ex bonis olim legatis decerpta, aliis rationibus GROSIVS addixerat, quod ſane, quippe pactorum legibus ſtare debebat, ipſi non licuit. Ea de cauſa factum eſſe, reor, ut in codicillis (m) ingenue declararet, collocaſſe ſe maximam ſpem proſperi ſucceſſus in clementia, liberalitate, et conſtantia SERENISSIMORVM PRINCIPVM, neque dubitare, quin clↄ. imperiales ſemel attributi academiae, et adhuc quotannis in eam impenſi, in poſterum perpetuo concederentur, et hac ratione opus firmum ſtabileque fieret. Itaque, cum impenſae in academiam equeſtrem faciendae, a GROSIO olim promiſſae, nunc tandem deficerent: huic quidem fundatae Academiae gloria et nomen, SERENISSIMIS MARGGRAVIIS autem eius ſuſtentandae onus relictum uidebatur, quapropter PATRIAE PATER OPTIMVS eam ſummam in Academiam nouam erogare maluit, cum pro tanta pecunia, tot annis ſoluta, praeter aedes academicas, nullum plane commodum ex diuitiis Groſianis in EVM redundauerit. Ex quo patet, omnia eadem, quae in Academiam FRIDERICIANAM nouam collata ſunt, nuncupata fuiſſe rebus eiusmodi, ad quas certe iam adcommodantur, hoc ſaltem diſcrimine, ut, quae diſperſa atque diſtracta fuerunt antea, propptereaque maioribus haud ſufficere


cere

(l) cIↄIↄCCXVIII. cum ad ſeptuageſimum iam perueniſſet annum, quo homines multum concedere plerumque ſolent blanditiis.

(m) cIↄIↄCCXXIIII. IIII. Maii ſcriptis.

Digitized by Google

cere uidebantur, nunc coniuncta magnum opus ſuſtineant. Dum haec adcuratius mecum conſidero, ſane a me impetrare nequeo, quin admirer egregium animum atque excelſum PRINCIPIS NOSTRI SERENISSIMI, EVMque hac de cauſa, uti par eſt, publice laudibus extollam. Maximum utique Principum uectigal eſt parſimonia, quare illi ſummo iure laudantur, qui nimios aut non neceſſarios ſumtus rerum quarumlibet contrahere; et, quae ex iis ſuperſunt opes, patrimonio ſuo uindicare ſtudent, ut, ſi forte temporum conditio flagitauerit, paratum habeant id, ſine quo magna negotia raro conficiuntur. Quanto igitur magis SERENISSIMVS MARGGRAVIVS augere potuiſſet aerarium ſuum, ſi, abundantibus ablatis, ea tantum gymnaſiis reliquiſſet, quibus ad neceſſitatem ſalua ſtare poterant, et in praeſenti conſeruantur? Attamen tanta eſt OPTIMI PRINCIPIS pietas, tanta religio, tam impenſus amor in literarum ſtudia, tanta animi excelſi magnitudo, ut ornare Muſas, quam ſpoliare opibus, mallet, neque iis adeo contentus eſſet, quae diui Maiores ſcholis dedicauerant, ſed longe plura potius adderet, multoque maiora et illuſtriora moliretur. Quapropter TE, FRIDERICE SERENISSIME, iure meritoque VERVM PATRIAE PATREM ſalutamus, cum TIBI ſoli commoda eſſe non iudices, quae ciuium ſaluti inſeruire magis uidentur.





ACADEMIAE FRIDERICIANAE CONSTITVTIO.

CONSVLTO prius, quam rem aggrediare, et, ubi conſulueris, mature facto opus eſt. Hac ratione ACADEMIA FRIDERICIANA, poſtquam eius inſtituendae cauſa conſilia diu ſatis agitata, et ad maturitatem tandem deducta erant, praeter ſpem opinionemque omnium continuo emerſit. Iam SERENISSIMVS MARGGRAVIVS uoluntatem ſuam, propoſito edicto (n), patriae declarauerat: *Animaduertiſſe ſe compluribus annis, adoleſcentes et debitam diligentiam in ſcholis patriis non adhibere, et citius, quam par eſſet, in peregrinas Academias properare, ibi uero, primis principiis uix imbutos, male plerumque tempus, ſtudiis praefinitum, perdere, parentum opes luxuria diſſipare, tum uero doctrinae rudes in patriam redire, ideoque magnum eorum numerum prouincias in patria ſibi demandatas, ignorantia paullo poſt onerare. Propterea in metropoli Byruthina Academiam ordinare ſe uelle; ut irruenti barbariei eo magis obuiam eatur, ſi iuuenes ſtudioſi in adſpectu totius patriae, et ſub oculis quaſi parentum, aut propinquorum, uitam degerent. Hanc Academiam appellatum iri Fridericianam, eiusque curationem et adminiſtrationem commiſſum uiro cuidam probatae eruditionis, dexteritatis atque fidei, qui in omnibus, ſiue abroganda ſint antiqua, ſiue noua ſtatuenda, praeter SERENISSIMVM, ſe alligaret ad neminem, nullique huius rei, niſi IPSI, rationem redderet. Hoc munus iniungi in praeſenti Perilluſtri Viro, DANIELI DE SVPERVILLE, SERENISS. PRINC. in conſilio ſanctiori adminiſtro; eum igitur Academiae curam ſuſcepturum, ſalutemque cordi habiturum fore, et in omnibus negotiis, quae ad Academiam pertinent, ab IPSO SERENISSIMO auctoritate inſtructum iri.*

PRIN-

(n) XIV. Martii cIↃIↃCCXXXXII.

Digitized by Google

Principes pluribus plerumque amicis et conſiliariis circumſepti eſſe ſolent, quorum deliberatione in gerendis rebus utuntur, quocirca haud immerito incidere uidetur in dubitationem: utrum melius agatur, ſi pluribus ſe tradant, an, ſi unum ſolum conſiliorum participem faciant, ubi cauſae graues et arduae expediendae ſunt? Exercitationem quidem atque meditationem plurium non adſpernabitur quisquam, niſi qui temerario iudicio nimium confidit; attamen uix negari poteſt, rem ſaepius ita comparatam eſſe, ut multorum opiniones non ferat, neque ad felicem exitum umquam deueniat, ſi ex omnium animis prius ſcrupulos euellere uolueris, quam illam ſuſcipias. Documento eſſe poteſt FRIDERICIANA noſtra, quae magnae hominum, et ciuium, et peregrinorum, copiae riſum plane mouit, cum ille dies ipſe iam illuxerat, quo auſpicia capere debebat. Opus enim uidebatur immaturum, praeceps, temerarium, quod, antequam natum erat, corruere prope opinabantur. Induat quis profeſſoris perſonam, animo ſibi proponat eiusmodi conditionem, qua palam ludibrio habetur ab aliis eodem tempore, quo ab aliis ad ſpem optimi ſucceſſus incitatur. Conſtantia profecto animique fortitudine illi opus eſt, qui tale ſpatium decurrendum ſibi propoſuit. At Perilluſtris DE SVPERVILLE ea impedimenta, quae uridique obiecta uidebat, parum penſi habuit, quippe SERENISSIMI MARGGRAVII excelſum animum, ingeniique pene diuini acumen, atque firmum et immobile mentis propoſitum abunde explorauerat, quapropter ordinando, monendo, excitando ea omnia reſtituit, quae depreſſa alias et fatigata reperiebat.

Dies erat ad conſecrandam FRIDERICIANAM conſtitutus XXI. Martii CIↃIↃCCXXXXII., iamque aera in templorum turribus ſuſpenſa ſonabant, et ciues expectatione partim ſuſpenſos, partim tacitos admiratione, certiores faciebant, adeſſe horam, qua nouarum rerum cupidi oculos ſpectaculo nouo paſcere poſſent. Itaque Profeſſores, qui in aedi-

bus Perilluſtris Directoris, DE SVPERVILLE, tempeſtiue conuenerant, bini proceſſerunt, atque ordine decenti uiam emenſi, Collegii Chriſtian-Erneſtini auditorium maius intrarunt. Haec caerimonia quantam hominum copiam, praetereuntes ſedulo luſtrantem, undecumque acciuerit, uix crederes, ſi ciuium multitudinem ex ambitu Byruthinae urbis tantum aeſtimare uelis. Namque illius moenia adeo ampla non ſunt,ut cum magnis comparetur; paruis autem et ignobilibus pariter haud accenſeri iure poteſt, praeſertim, cum multae urbes, longe maiores, tantum incolarum numerum uix foueant, quantum Byruthum continet. Minoris oppidi ſpeciem prae ſe fert, et re uera tamen maius eſt, quod complurium platearum anguſtia efficit. Gratus fuit adſpectus concurſantis populi, ſed, praeter unum, quod adhuc deerat, pulchrior obiici non potuit ſpecies, niſi ſtudioſae iuuentutis, quae tum ad Academiae limen primum acceſſit. Adoleſcentes XXIIII. in Gymnaſio Byruthino aliquot annis nutriti et formati, ſuccreſcens patriae ſpes, qui Profeſſores eo comitati erant, uoluptatis laetitiaeque notas ſuper facie expreſſas, monſtrabant, his adiuncti nobiles quidam, quos Academia equeſtris Erlangenſium dederat, ad nouam ſacrorum communionem ſimul adſpirabant. Paullo poſt Director Academiae Perilluſtris, quem SERENISSIMVS PRINCEPS ſplendida rheda uehi iuſſerat, accedens, omnia, tanto apparatui idonea, perluſtrabat, et, quae addi poſſe uidebantur, ordinabat. Iam quoque ſellae ſublimes, aulaeis explicatis impoſitae, religionem omnium animis incuſſerant, dum AVGVSTAS PERSONAS, quibus deſtinatae erant, cogitatione ſibi repraeſentabant. Qua igitur animi affectione exceptos tandem eſſe, putas, SERENISSIMOS PATRIAE PARENTES, PRAESENTIA NVMINA, poſtquam ad Muſarum domicilium adpropinquauerant? Sane quam Apollinem et Mineruam, tutelares deos, tam praeclara ſpecie uniuerſa poëtarum cohors non pinxit olim, neque effingere umquam poterit, quin illum FRIDERICVS SERENIS-

Digitized by Google

RENISSIMVS, hanc uero FRIDERICA SOPHIA VILELMINA AVGVSTA multis partibus ſuperare uideantur, neque tanta uenuſtate terrarum orbi Gratiae quondam apparuerunt, ut, ab ELISABETA SOPHIA FRIDERICA SERENISSIMA, iuuentutis PRINCIPE FILIA, omnibus maiora addi non poſſe, cenſeas.

Aderant, praeter excelſae dignitatis matronas, illuſtresque feminas, AVGVSTAE comites, quam plurimi PRINCIPIS amici, uiri, generis nobilitate, ſplendore gradus, muneris auctoritate, inſignes; hos tanta ſpectatorum turba a tergo premebat, ut milites, corporis cuſtodiae cauſa diſpoſiti, eorum impetum aegre ſuſtinerent. Tum uero totas aedes concentus muſici ſuauiſſimi, omnium aures exquiſitiſſime demulcentes, ſubito perſtrepuere, quos Perilluſtris Directoris, DANIELIS DE SVPERVILLE, qui primum locum e regione PERSONARVM AVGVSTARVM occupauerat, oratio grauis, et ad rem adcommodata, excepit. *Meliorem*, ait, *obtingere non poſſe terrarum orbi PRINCIPEM, FRIDERICO SERENISSIMO, quippe quem nulla plane cura, niſi, quam de ornanda patria, augendaque ciuium ſalute, ſecum uolueret aſſiduo, defatigaret. Huius rei illuſtria ante omnium oculos uerſari exempla quam plurima, nouum uero, idque egregium, hodie reliquis addi documentum, cum ueram pietatem, et ampliſſima literarum incrementa, utpote ſolidum omnis felicitatis fundamentum, tanto ſtudio perſequeretur. Immortales igitur gratias MARGGRAVIO SERENISSIMO agere ſe et uniuerſae patriae, et Byruthinae urbis ſpeciatim, et in primis Academiae nouae nomine, quod illam beauerit maxime, iſtam ſplendide ornauerit, hanc clementiſſime condiderit.* Deinde conuerſus ad Profeſſores, *generatim eos hortatus eſt, ut muneris et honoris, quem illis impertiret PRINCEPS OPTIMVS, memores eſſent, neque minus Academiae rationem ſedulo haberent, eamque tam in inſtitutionis genere, quam in gubernandi conditione, a ſchola et gymnaſio, uti decet, rite diſcernerent, ante omnia uero iuuenum ſalutem futuram, quippe quae magna parte ab ipſorum opera penderet, ſibi creditam reputarent. Praeterea ſumma ope niterentur, ut ſtudioſa literarum iuuentus ipſos amore complecteretur, uiamque, ab ipſis ſibi monſtratam, iucundam aeſtimaret, eamque ob cauſam eo magis ſollicite cuſtodiret, quo libentius incederet. Fingerent ſibi, et mente quodammodo praeriperent uoluptatem, quam integram percepturi ſint aliquando, ubi uiros praeclaros, patriae caros, utiles reipublicae, ſanctaeque religionis de-*

ſenſores, formauerint, qui plurima felicitatis ſuae praeſidia ipſis accepta ferrent. Magnam in ipſorum dexteritate atque fide ſpem, magnamque fiduciam collocaſſe PRINCIPEM SERENISSIMVM, ideoque ſibi demandaſſe, ut eiusmodi dicta illis palam proponeret; quodſi euentus uotis in poſterum re uera reſponderet, fore, ut nouae Academiae, quam CONDITOR illius SERENISSIMVS peculiaris gratiae cauſa de SVO nomine appellauerit, continuis beneficiis proſpiceret, eam contra iniurias quascumque defenderet, amplioribus ornamentis augeret, et ab omni periculo ſaluam praeſtaret. Tum ſingulos Profeſſores, unoquoque ſpeciatim appellato, publice renuntiauit Vir Excellentiſſimus, inſtaurandis literarum praeſidiis natus, ſingulosque ordines eiusmodi praeceptionibus, quae ad tanti operis propoſitum conſequendum maxime neceſſariae uidebantur, inſtruxit. In primis Theologos hortatus eſt, ne, pietati tenebras obduci ficta ſpecie et ſimulata religione, umquam permitterent, ſed potius pietatis laruas, ſecura plerumque praebentes refugia nequitiae, forti animo profligarent. Horum uero primum, SAMVELEM KRIPNERVM, egregiae eruditionis et probatae fidei uirum, ad capienda inſignia Rectoris nouae Academiae prouocauit, eique Sceptrum, Sigillum, Album, atque Claues tam auditorii, quam carceris, tradidit. Denique adlocutionem uertit ad adoleſcentes, qui Academiae nomen dederant, eosque monuit, *ut MARGGRAVII SERENISSIMI praeclara inſtituta ea, qua decet, pietate aeſtimarent; non ita ſane multa exempla Principum in promtu eſſe, qui Muſarum felicitati operam darent, et literarum ſtudioſis tanto opere fauerent; plerosque parum penſi habere artes ac ſcientias, easque meditatione ſua uix dignas iudicare. PRINCIPEM uero noſtrum rationes longe aliter ſubducere, ſiquidem IPSI non ſufficiat, ſtatuiſſe, ut antiqua literarum et literatorum commoda integra ſeruarentur, ſed ILLVM praeterea ſerio adlaborare, quo in dies magis magisque augeantur, ornentur, perficiantur. Concedi ipſis a SERENISSIMO PRINCIPE ius, darique facultatem portandi gladii, cincti igitur incederent in poſterum, dignitatis nouae memores; uterentur gladio, quemadmodum homines decet, ad ſana conſilia uitam dirigentes, eius abuſum contra, Muſarum tranquillitati repugnantem, damnarent.* Finita hac oratione, cuius quidem elegantiam et grauitatem epitome, a nobis exhibita, nulla parte attingit, MARGGRAVIAM AVGVSTAM Gallico ſermone ſalutauit, EIque tanto dicendi artificio gratias perſoluit, ut omnes, totam aetatem in oratoriis exercitationibus ILLVM conſumſiſſe, putarent. Denique Academiae Re-

ctor

ctor primus, SAMVEL KRIPNER, in cathedram adſcendit, et, pro temporis ratione, quae dici poterant et debebant, breuiter perorauit. Nummos cudi curauerat Perilluſtris DE SVPERVILLE, approbante MARGGRAVIO SERENISSIMO, memoriam huius rei conſeruaturos, quorum inſignis copia tum diſtributa eſt, et illuſtribus quidem perſonis, neque minus Profeſſoribus, aurei, ſtudioſis autem ſingulis, reliquisque omnibus, qui ad celebrandam huius diei ſolemnitatem conuenerant, argentei dati ſunt (o). Ipſi PRINCIPES ſumma gratia Profeſſores compellabant, de ſuſcepto munere gratulando, exoptandoque ſucceſſus fortunatos. Poſt ea, canente iterum choro muſico, et impulſis fidibus, actus hic ſplendidiſſimus ad laetum exitum properauit.

IAM uero menſa exquiſitiſſimis epulis inſtructa erat in ſuperiore parte Collegii, ubi PRINCEPS in conuiuium admoueri iuſſerat ordinem Profeſſorum, qui tanta munificentia paſti ſunt, abundante uini copia optimi uariique generis, ut ſub ueſperam demum diſcederent.

COMPARATIS itaque et conſtitutis omnibus, quae inſtruendae et dedicandae Academiae Byruthinae idonea erant, coeptisque iam praelectionibus et publicis et priuatis, ampliores aedes Collegio academico tantum deerant. Sed id quoque commodum paulo poſt ad reliqua acceſſit, ſiquidem Director Perilluſtris, conquirendo et adminiſtrando Academiae opes, tanta ſolertia illi proſpexerat, ut ad aedes ſatis ſpatioſas, quadrato lapide conſtructas, et ſplendidisſimas fere totius urbis, redimendas, pecunia ſuppeteret. Quae, poſtquam ad rationem inſtituto congruam, exaedificatae et effectae erant, tum amplitudine et opportunitate aedificiorum ulli Academiae noua FRIDERICIANA cedere non uidebatur. Imperialium ccIↄↄ cIↄ cIↄ., et amplius, in hoc Muſarum templum impendimus olim, neque tamen omni facul-

E tate

(o) Effigiem repraeſentari curauimus. p. 1.

tate adeo exhauſta erat Academia noſtra, ut multo maiora conari non potuerit, quamuis eo tempore, quo ſummo ſplendore eluxit, et omnibus admirabilis uiſa eſt, illa domus emtorem nondum inuenerat. Erubeſcant igitur illi, qui FRIDERICIANAE honorem calumnia minuere conati ſunt, ac ſi ex ſpoliis Gymnaſii Heilbronnenſis nata ſit, creuerit, illisque ſuſtentetur. Sane quam parum aequi aeſtimatores ſunt rerum noſtrarum, qui, cum, SERENISSIMVM PATRIAE PATREM omnibus eximia liberalitate prouidiſſe, et ſumma benignitate conſuluiſſe, expertum habeant, hanc ſolam inopia laborare, impudentius praedicant. Fruſtra operam perdunt in confirmanda re, tam manifeſte falſa, et animi puſilli inuidiam produnt, ipſique ſe prudentiorum riſui exponunt.

En uero nouum gratiae et liberalitatis ſpecimen! CHRISTIANVS ERNESTVS et CAROLVS AVGVSTVS, diui MARGGRAVII, in inſtruendis bibliothecis multum operae et pecuniae collocauerant, ita, ut diuerſi generis librorum, et quidem exquiſitiſſimorum, aliquot millia, ab his coëmta, ſupereſſent. Neque minus diuus GEORGIVS FRIDERICVS CAROLVS, PRINCEPS ipſe eruditus, et doctorum uirorum amantiſſimus, plurima eis addidit, quae SERENISSIMVS FRIDERICVS pariter multis modis auxit et amplificauit. Hanc bibliothecam, quamuis in arce Byruthina aſſeruaretur, Profeſſor Gymnaſii olim ordinare, eiusque curam gerere ſolebat, quo factum eſt, ut meliorem eius notitiam Profeſſores paulatim adquirerent, atque ſimul, continuum ad eam aditum, liberumque eius uſum ſibi permiſſum non eſſe, aegre ferrent. Verum illud deſiderium uix delatum erat ad SERENISSIMVM PRINCIPEM, qui, praeter eruditorum commoda, et doctrinae incrementa, nihil fere prius habet, nihil antiquius, cum integrum librorum apparatum Gymnaſio ſtatim commodaret, atque adeo illi tradi

Digitized by Google

tradi iuberet (p). Donata fortaſſe fuiſſet eo tempore bibliotheca Collegio Chriſtian-Erneſtino, niſi prouidentia illam nouae potius Academiae reſeruaſſet. Itaque FRIDERICIANA noſtra illud ornamentum a CONDITORE ſuo SERENISSIMO dono accepit, ne ulla re neceſſaria, de qua Academiae antiquiores plerumque gloriantur, uel ab initio deſtitueretur (q).

Mirvm uideri utique poterat, cum multa iam de Academia FRIDERICIANA narrauerim, me ne uerbo quidem mentionem adhuc feciſſe priuilegiorum, a SERENISSIMO PRINCIPE illi conceſſorum, quae tamen ante omnia tribui ſolent Academiis, et ſanctione plerumque confirmari. Data quidem eſt Profeſſoribus immunitas, permiſſa ſunt FRIDERICIANAE iura ampliſſima, quam primum nata et conſtituta erat, ſed ea omnia declaratione PRINCIPIS ſola, uerbis facta, diu ſubſtiterunt, neque ante diem xiii. Aprilis cIↄIↄCCXXXXIII. priuilegiorum tabulas Academia nanciſci potuit. Haeſit ea res multis difficultatibus obnoxia, et in dies maioribus implicari uidebatur. Denique omnia impedimenta animi magnitudo, quam in SERENISSIMO FRIDERICO ueneramur, ſubito ſuſtulit, ac Perilluſtris Directoris conſtans induſtria tantos labores feliciter ſuperauit. Sed ea eſt humanarum rerum conditio, ut magna et praeclara non ſurgant, niſi prius luctentur cum aduerſariis, quam ob rem de FRIDERICIANA quoque noſtra eo maiora ſperare licebit, quo magis eniti et contendere debuit antea, ut moras crebrius obuias tandem uinceret.

Qvamvis autem MARGGRAVIVS SERENISSIMVS ea omnia, quae Academiae ullo modo prodeſſe poterant, munifice et copioſe largiretur: nihilo tamen minus Byruthina urbs ſuſtinendae FRIDERICIANAE non ita idonea uidebatur

(p) Quod factum eſt XXII. Sept. cIↄIↄCCXXXVI.

(q) Vide Additamenta pag. 25. §. 6.

Digitized by Google

debatur, ut maiorem ciuium copiam commode ferre, et, quae ad augendam Muſarum ſedem neceſſaria ſunt, recte exhibere poſſet. Repletum eſſe oppidum et refertum ciuibus incolisque, iam diximus, ſi uel copioſum ſplendidiſſimae aulae comitatum, et magnam miniſtrorum famulorumque multitudinem inter eos non referas, praeter ea militum praeſidia continet perpetua, hinc rara peregrinis atque aduenis hoſpitia abtingunt, nec facile intra urbis moenia reperitur aedificandi opportunitas. Ad hoc accedit libera uiuendi ratio, qua ſtudioſi adoleſcentes ſaepius uti, hilarique animo plerumque indulgere conſueuerunt, ex quo crebrae cum militibus, eorumque praefectis, altercationes naſcuntur. Namque hi, in ſtationibus diſpoſiti, omnem ſtrepitum cohibere debent, illi uero ſummae tranquillitati ſemper ſtudere commodum ſibi non putant. Reliqua impedimenta, quae Academiae ibi imminebant, ſilentio praeterire conſtitui. Quare PATER PATRIAE OPTIMVS, cum FRIDERICIANAE ſuae, quantum fieri poteſt, conſulere atque proſpicere uellet, illam alio transferendam eſſe praecipue, iudicauit. Quodſi, euentu rei fortuito ſucceſſum alterius negotii portendi, forte cenſeas, tum ſane praematura mors primi Rectoris, SAMVELIS KRIPNERI, Theologiae et linguarum ſanctiorum Profeſſoris, ſiniſtrum omen uideri debebat. Nos uero, qui Hetruſcorum diſciplinam iure adſpernamur, parui aeſtimamus talia prodigia, quippe quae a natura rerum pendere, et ſecundum leges illius neceſſarias accidere, certo inter omnes conſtat. Hoc ſolum ex KRIPNERI obitu malum nobis natum eſſe, fatemur, quod Profeſſorem amiſimus, cuius eruditio, dexteritas, probitas, et induſtria FRIDERICIANAE ornamento eſſe poterat.

POSTQVAM igitur conſilio decretum maturo, firmoque conſtitutum erat, ut Academia transferretur in aliam urbem, tum inter praecipuas lis quaſi oriri coepit, ſi quidem Culmbacum, et Curia Variſcorum non minus, atque Erlanga, Muſas,

Digitized by Google

Muſas, loco motas, libenter recipere, inque ſinu ſuo fouere uolebant, et huius rei cauſa paratum ſtudium luculente demonſtrabant. Dubia aliquamdiu fuit deciſio, cui prae reliquis tantum uniuerſae patriae ornamentum addiceretur? Equidem ego perſuadere mihi uix potui, res FRIDERICIANAE noſtrae in inuidiam adeo adductas fuiſſe eo tempore, ut ab urbe et natura, et ſitu, et aedificiorum deſcriptione in primis nobili Academiam arcere quidam, ſola maleuolentia, conati ſint; id potius perſpectum atque exploratum habeo, ligni inopiam ſyluarumque tenuitatem obiectam fuiſſe, nec ſine quadam probabilitatis ſpecie, quae magnae hominum copiae ad temperandum brumae frigus in poſterum haud ſuffectura uidebatur. At SERENISSIMVS Academiae CONDITOR, re in omnem partem ſatis deliberata, ipſe tandem ſententiam pronuntiauit, qua Muſas noſtras in ſuperbo hoc elegantiſſimoque domicilio habitare iuſſit.

IAM quoque CAROLVS VII. IMPERATOR ROMANORVM AVGVSTISSIMVS, eximia priuilegia, in toto Imperio auctoritatem habentia, larga manu nouae FRIDERICIANAE dederat, eamque iuribus praerogatiuis ita muniuerat, ut maiora uix ſperare, illuſtriora exoptare plane non potuerit (r). Quid igitur, poſtquam SERENISSIMVS PRINCEPS diem conſecrandae FRIDERICIANAE, promulgandisque Erlangae priuilegiis iam praefiniuerat IIII. Nov. cIↄIↄCCXXXXIII., reliquum nobis fuiſſe, putares, niſi id, ut, omnibus rite compoſitis et ordinatis, lares noſtros familiares eo transportauerimus, ubi tutior ſeceſſus gratam et ſecuram tranquillitatem nobis abunde promittebat. Itaque piae uenerationis poſtremum monimentum Byruthi FRIDERICIANA edidit oratione ſolemni, qua MARGGRAVIAE AVGVSTAE natalis IIII. Iul. celebratus eſt. REGIAE ILLIVS MINERVAE ſummam clementiam in pro-

(r) Compendium eorum exhibitum uide inter additam. p. 16.

tegendis Muſis noſtris luculentiſſimis teſtimoniis demonſtratam, numquam ſane, uti par eſt, debita cum gloria praedicare poſſumus. Qua enim ratione commemorare licet id, quod mens noſtra plane non capit? Non ſolum regiae ſtirpis ſanctiſſimum nomen, non MAGNI PARENTIS glorioſiſſima memoria, non egregiae formae decus, non illud, quod lectiſſimo coniugio nititur, ſummae dignitatis faſtigium, non eae denique dotes, quas in AVGVSTIS PERSONIS alias miratur terrarum orbis, quas ſuſpicit, colit, ueneratur, non ea, inquam, ſola ſunt, quorum cauſa, FRIDERICAE SOPHIAE VILELMINAE AVGVSTAE imaginem contemplantes, in admirationem, et in ſtuporem pene rapimur. Maiora profecto adſunt, atque ante oculos noſtros obuerſantur, quae REGIAM PRINCIPEM, omni ſplendore circumfuſam, eo magis extollunt inter aequales, quo in diuinae naturae limine propius ILLAM collocant. Summa mentis excelſae perſpicacitas, qua difficillima ſcrutatur, recondita peruagatur, ſublimia penetrat, explicat abſtruſa, AVGVSTAE noſtrae nomen efficit immortale, gloriamque ILLI conciliat perpetuam. Quidquid praeclarum a Gallis proditum eſt, id omne EA nouit, Italorum ſcripta perquiſiuit, et ſubtilem Britannorum doctrinam adcurate intelligit; has enim linguas, quamuis longe diuerſas, perfecte callet. Licet autem hac ratione multos, qui eruditos ſe profitentur, ſcientia facile ſuperet; ea tamen eſt AVGVSTAE MARGGRAVIAE modeſtia, ut difficilium cauſarum diſceptationes audire, quam decidere, malit, ea animi magnitudo, ut quemcumque ſibi ſapere, ſuisque rationibus confidere, permittat, ea clementia, ut, niſi literatos continuis beneficiis ornet, nefas ducat eos nouiſſe. Quantum IPSI debeat FRIDERICIANA, ex eo facile diiudicari poteſt, quod multorum decorum expers foret, niſi AVGVSTAE propugnatione atque interceſſione uſa fuiſſet.

ITAQVE Byruthinae Muſae ſurgunt, Academia diceſſum parante, literarum ſtudioſi ſarcinas colligunt, mouetur biblio-

Digitized by Google

bliotheca, includitur ciſtis, transportatur, hanc excipit Profeſſorum ſuppellex, et creberrimae uecturae fidem tandem faciunt iis, qui conſilium de Academia, Erlangae perficienda, non ignorabant, ſed rem non futuram adhuc putauerant. Tum uero ſummus in omnium animis enituit ardor, ſummum ſtudium proficiſcendi, adeo, ut hoc iter haud moleſtum, haec mutatio minime periculoſa, quod alias dici ſolet, uiſa fuerit uniuerſis. Eadem animi alacritate hoſpites aduenaeque ab Erlangenſibus excepti ſunt, et hac ratione utraque pars, neſcio quam, uoluptatem ex alterius commercio atque communione ſibi certe promiſit, eaque ſpes neutram fefellit. Namque ciues hic experti ſumus modeſtos, officioſos, et pacis ſtudioſos, qui, licet ignari eſſent moris academici, nihilominus tamen academicorum hominum hilaritatem moleſtam ſibi fore, haud cenſebant, ſed ſuo potius exemplo excitabant ad laetitiam, quam ſuauis tempeſtas uergentis aeſtatis plerumque indulgere ſolet noſtris regionibus. Studioſi iuuenes modeſtia et comitate facile capiuntur, nec quidquam eos magis mouet, ut pacem amicitiamque colant, quam tempeſtiua aſſenſio et approbatio rerum, ab ipſis ſuſceptarum, dummodo non oleant iniuriam. Hac ratione ciuitas noſtra literaria concordiae et beneuolentiae praeſidiis munita eſt ſtatim ab initio, illaque eo magis fouere et confirmare ſtudet, quo minus exoptatam felicitatem adquiri diſſenſionibus et rixis, inter ciues academicos et urbanos crebro obortis, aliarum exemplo didicit.


Cvm uero ſolemnis dedicationis tempus appropinquaret, omne id, quod ad amplificandum huius negotii ſplendorem aptum uidebatur, ubicumque ſerio et ſolicite procuratum eſt. PRINCEPS enim SERENISSIMVS, qui nouum FRIDERICIANAE ſuae natalem ſumma gloria illuſtrem et conſpicuum eſſe, uolebat, nihil plane intactum, nihil inexpertum reliquit, quod celebritati, dignitati atque magnificentiae ulla ratione addi poſſe, putabat. In primis Perilluſtris Academiae Director,

ctor, quamuis eo tempore aduerſa corporis ualetudine fere oppreſſus et proſtratus plane eſſet, curae tamen, labori, operisque parcere noluit, neque crebris Profeſſorum precibus eo adigi potuit, ut ſibi paulum temperaret; maxime glorioſum ſibi fore, ratus, ſi uel oneri tandem ſuccumberet, et Academiae cauſa mortem maturius obiret. Ipſa FRIDERICIANA bonis ſuis eo tempore ſola frui noluit, ſed optauit potius, ut laetitiae ſplendorisque noui aliae quoque Academiae participes fierent, eamque ſummam et exquiſitam uoluptatem eſſe, iudicauit, quae cum aliis, quorum amicitiam magni aeſtimare iure meritoque ſolemus, communicatur. Qua de cauſa e celeberrimis Germaniae Academiis ad initiationis ſuae ſacra ea, qua par eſt, humanitate ſpeciatim inuitauit Altorfinam, Goettingenſem, Hallenſem, Ienenſem, Ingolſtadienſem, Lipſienſem, Tubingenſem, et Wurceburgenſem (s), poſtquam publica tabula, quam programma uocant, ſolemnem diem iamiam indixerat, et, ut frequentes confluerent exteri, ciues, hoſpites, rogauerat. Omnes quidem, quarum mentionem fecimus, Academiae, comiter et amice ſcriptis literis reſponderunt, et, ſolemnem, quae proxime inſtabat, dedicationem gratulando, beneuolentiam erga nos egregie declarauerunt: in primis autem Academiae, Wurceburgenſis et Altorfina, ſpe nos imbuerunt dulciſſima, fore, ut ex ordine ſuo collegas, ſibi coniunctiſſimos, ablegarent, auſpicalibus FRIDERICIANAE noſtrae ſacris interfuturos. Nec ſilentio praeterire poſſumus fauoris amicitiaeque documentum inſigne, nitidum et maſcula elegantia elaboratum carmen, quo inclyta Tubingenſis noſtrae natalem celebrauit Academiae; Altorfina etiam, uicina ſoror atque ſuauiſſima, pari humanitatis ſtudio publica tabula denunciauit ſolemnia noſtra ſuis ciuibus, eosque, ut frequentes nobis adeſſent, excitauit.

ACADE-

(s) Noſtrum non eſt, de antiquitate aut praerogatiua Academiarum iudicare, quare eas ordine, quo ſe primae literae excipiunt, nominauimus.

Digitized by Google



ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PERFECTIO ET CONSECRATIO.

Non eſt ciuitate noſtra dignus ciuis, qui ſe alii ciuitati dicare potuit eo tempore, quo et FRIDERICI SERENISSIMI admirabilis magnificentia, et inſtauratae FRIDERICIANAE pulchritudo abſoluta, et formoſae urbis egregium decus, annuente nobis ipſa coeli ſereni clementia, ſimul et ex conſtituto quaſi propoſito, eluxerunt. Etenim temporum uarietates, coelique mutationes et obſcura nubila frequentibus pluuiis complures dies antea triſtes et conturbatos reddiderant: ea uero nox, quae

Digitized by Google

diem, quo PRINCEPS noſter AVGVSTVS Erlangam proficiſci conſtituerat, proxime praeceſſit, oculis noſtris priſtinum ſtellarum fulgorem reſtituit, aëremque puriorem inſequenti luci primum promiſit. Magiſtratus urbani, qui cum uniuerſis ciuibus illud ſibi negotium ſumſerant, ut integra urbs, quae quidem a ſordibus continue libera eſt, hoc praeſertim tempore in munditia atque elegantia exquiſita remaneret, aemula cura parauerant ea omnia, quae PRINCIPIS aduentui ſolemni idonea eſſe uidebantur. Quam ob rem in confiniis oppidorum, antiqui et noui, portam triumphalem erexerant, eo ambitu, ut cum ianuis minoribus, ab utroque latere auguſtali adfixis, integram uici latitudinem expleret. Statuae erant diſpoſitae ad dexteram ſiniſtramque, quarum binae e regione urbis antiquae Apollinis atque Martis imagines exprimebant, huius quidem otioſi atque languidi, nudato capite, cui enſis manu exciderat; illius autem alacri et excitato uultu chordas tentantis, laureaque ornati, ita, ut, Apollinis cantu ardorem Martis conſopitum eſſe, putares, ubi utriusque ſpecies oculis tuis forte obiiceretur. Reliquae binae, exeuntibus e noua urbe oppoſitae, Mineruam repraeſentabant et Bellonam, et hanc non plane inermem, neque tamen adeo trucem adſpectu, aut armis terribilem, ut metum incuteret contemplantibus, quippe oculorum acie obliqua et languente, armisque inuerſis, a conflictu cum Pallade abhorrere uidebatur, quae contra galea loricaque inſtructa, atque erectam haſtam prae ſe ferens, crucem minitabatur omnibus, qui ſacra ſua dehoneſtare conarentur. In ſupremo arcus faſtigio tubicinum et tympanotribarum cohors cum inſtrumentis collocata, ad ſalutandum PRINCIPEM parata erat. Vniuerſae portae ornamentum praeſtabant pulcherrimum inſignia gentitilia, et NOMINA AVGVSTA FRIDERICI atque FRIDERICAE SOPHIAE VILELMINAE, in ſuperiore parte medias inter ſtatuas conſpicua. Ciues uniuerſi, nullo excepto, armis decorati, eam urbis regionem

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

gionem occupabant, ubi PRINCIPI praetereunti debitae uenerationis iuſtique obſequii officia promta commode oſtendi poterant, tantoque ſtudio certatim undique adcurrebant, ut locum quisque ſuum ui conſequi et tueri uideretur. En ueram felicitatem PRINCIPIS, amorem populi! en populum fortunatum, cui eiusmodi PRINCEPS imperat, qui pietate, beneficentia, iuſtitia, fide, clementia patriam, quantum fieri poteſt, ſibi maxime obſtringit, obſtrictam ſeruat, ſeruatam ornat, ornatam perficit!

Dies erat III. Nouembris, quo iſthaec omnia a ciuibus parabantur urbanis; itaque academici, qui ſua multo magis intereſſe putabant, arcta ſocietate colligati, turmam formabant equeſtrem elegantiſſimam, cui magiſtrum ſtabuli academici praefectum, huius uero legatum eſſe uolebant, gladiatoriae artis praeceptorem. Cuncti, quo melius in reliqua hominum turba, quae ex uicinis et remotis regionibus confluxerat tanta multitudine, quantam ſpatioſa urbs aegre capiebat, dignoſcerentur, teſſerae loco faſciolas caerulei phoeniceique coloris pileis adfixerant, uel hoc ſigno animum, MARGGRAVIO SERENISSIMO penitus deuotum, ſignificantes, quod colores, quibus ſuos ornare ſolet, elegerant. Tum uero poſt meridiem ſtatim ſpecioſo ordine bini equis uecti ex urbe eo ſe contulerunt, ubi reliqui omnes exoptatiſſimum PRINCIPIS aduentum laeti exſpectabant. Profeſſoribus, qui in aedibus academicis conuenerant, rhedae miſſae ſunt a ſtabuli praefecto, ne, in tanta et equorum et uehiculorum penuria, quae diu ante in hunc diem a ſpectatoribus plerumque peregrinis conducta erant, obuiam eundi copia illos deficeret. Pratum eſt ſpatioſum et peramoenum, clↃ circiter paſſibus ab urbe diſtans, ubi tot illuſtrium uirorum et totius aulae ampliſſimae ſplendor nobis plane inopinantibus ſummam admirationem incuſſit. Tanti enim, tamque magnifici ſolemnitatis apparatus cogitationem noſtram longe ſuperauerunt, ſi-

quidem Perilluſtres ſummorum Collegiorum Praeſides, Equitesque complures, dignitate ordinis ſuper ueſtibus expreſſa inſigniti, cum Supremis aulae regendae atque ordinandae Praefectis, praeter hos etiam Illuſtres et Praeclariſſimi uiri, qui PRINCIPI alternis uicibus proximi eſſe, eiusque mandata primi excipere ſolent, parui exercitus ſpeciem, pulcherrimo ſpectaculo, repraeſentabant. Verum ubi eos, quos modo nominaui, ſolos quis adſpiceret, ſingulos quidem primorum ordinum duces putaret, praeſertim, ſi tanta hominum multitudine, quanta eo tempore in campis circumiacentibus apparuit, undique ſtiparentur. Proximi erant illis uiri Excellentiſſimi, Praeſtantiſſimique, quos ſingula collegia Praeſidibus ſuis adiunxerant, ſuccedebant deinde Conſulares et Magiſtratus, a ciuitatibus municipiisque prouinciarum Culmbacenſium ablegati, hos complures alii, quos aut obſequium erga PRINCIPEM, aut inſtituti operis admiratio, aut nouarum rerum cupido impulerat, excipiebant, denique reliqui homines, ignobilioribus PRINCIPIS miniſteriis deſtinati, cum ſtabulariis, extremum agmen claudebant. Diſpoſiti quoque erant in uia, qua PRINCEPS ire conſtituerat, milites, equis armisque conſpicui, equites primo corporis cuſtodes, et Pannonii, quos Huſaros adpellant, cum turma, quam oppidum Beyersdorf ſuis ſumtibus alit. Ita ordinatis omnibus, quae ad excipiendum SERENISSIMVM noſtrum PRINCIPEM, ornandumque EIVS ſolemnem ingreſſum pertinere uidebantur, IPSVM ſummopere exſpectabamus, qui tandem, maximo omnium gaudio, laetis auſpiciis aduenit. Praefectus uenationi circa Erlangam tum equo ſuo calcaria ſubdidit, ſeque in fronte totius cohortis conſtituit, quem turma equitum Erlangenſium proxime inſecuta, ſignum diſceſſui dedit. Exiguo deinde interuallo Illuſtrium et Generoſiſſimorum Virorum equi oſtenſionales acti, porro uenatores primi ordinis cum reliquis, quibus ſiluarum ferarumque cura commiſſa, proceſſerunt; hi Magiſtro equitationis locum fecerunt, et equiſonibus,

quos

Digitized by Google

quos tamen eo die uix adſpicere uoluit quisquam, cum equi, ab illis ducti, pulchritudine ſua et ornamentorum ſplendore eximio omnium ſpectatorum oculos ad ſe raperent. Proximum ordinem nobiles iuuenes, qui in PRINCIPVM aulis educari, miniſteriis adhiberi, et ſucceſſu temporis officiis plerumque militaribus fungi ſolent, duce diſciplinae praefecto, effecerunt. Quibus ſucceſſit praefectus ſtabulo Academiae, generoſo equo criſtaque nitida ſuperbiens, cum ſtudioſis literarum, qui numero LXXX. circiter, bini equis uecti, magnam ſpem fauſti ſucceſſus omnibus fecerunt, horum ordinem gladiatoriae artis magiſter ab inſequentibus diſtinxit. Iam conducta magiſtratuum Erlangenſium collegia, prout dignitatis gradu diſtincta ſunt, ſingula eumdem, quem anteceſſa reliquerant, locum rurſus exceperunt. Vti uero Academia ſingularem SERENISSIMI PRINCIPIS gratiam, qua antea iam ornata fuerat, dignis laudibus efferre nequit: ita eo tempore nouum et illuſtre ſane ſummi fauoris argumentum PATER PATRIAE OPTIMVS ipſi praebuit, ordinando, ut noua FRIDERICIANA inter haec ſolemnia introitus auſpicalia priores prae reliquis omnibus partes haberet, ſiquidem PRINCIPEM proxime praecedere iuſſa eſt. Itaque Profeſſorum ordines, primo philoſophicus, deinde medicus, tum iuridicus, denique theologicus cum Prorectore, ſeiugibus impoſiti curribus, progreſſi, eosque bini Secretarii, alter Academiae, Directorii alter, equitantes ſubſecuti ſunt. Tum quaeſtor Academiae ſolus, et paulo poſt Perilluſtris Academiae Director, DE SVPERVILLE, curru ſeiugi ſplendidiore uectus, apparuit. Iam uero SERENISSIMI PRINCIPIS comitatus perpetuus, uiri, generis nobilitate illuſtres, aulae inſignis ſplendor, et equitum Hungarorum cohors, breuique interuallo duo ſtabuli magiſtri, poſt ea Perilluſtris Vir IOANNES HENRICVS DE POELNIZ, Supremus Pincerna, nobiles quoque Cubicularii, et Praefecti clauigeri, adhibita pompa

H ſole-

Digitized by Google

ſolemnitati congrua, egregieque ornatis equis, proceſſerunt. Proxime ante PRINCIPIS AVGVSTI currum, auro et caelato opere pretioſiſſimum, equo ibat Perilluſtris CHRISTOPHORVS HENRICVS DE REIZENSTEIN, Conſiliarius intimus, et Supremus Aulae Mareſchallus; ad dextram Perilluſtris CONRADVS FRIDERICVS DE HAGEN, Conſiliarius intimus, et praetorianis equitibus Praefectus, ad ſiniſtram uero Illuſtriſſimus ALBERTVS CAROLVS FRIDERICVS S. I. COMES DE SCHOENBVRG, Conſiliarius intimus, et Supremus ſtabuli Praefectus, alacres equos frenis compeſcebant. Quod in ſingulorum, quos modo nominaui, Virorum laudes minus diffundar, nemo mihi uitio dabit, ſiquidem uel hoc ſolum ſufficit ad iudicandum, quales quantique eſſe debeant illi, quos FRIDERICVS SERENISSIMVS elegit, ut SIBI praeſto ſint, et ſummis rebus praeficiantur. Contra, ſi quis egregios hoſce uiros aliunde nouerit, is ſane prudentiam plane mirabilem, in eligendis illis adhibitam, ſuſpiciet et uenerabitur. Reliquorum nomina tacere nefas eſſet, qui praeſentia ſua partim PRINCIPIS comitatui, partim ſacris noſtris eximium decus addiderunt; hi, interiectis equitibus, corporis cuſtodibus, curribus uecti, atque PRINCIPEM ſubſecuti ſunt. Aderant autem e collegio ſanctiore Perilluſtres Adminiſtri et Amici PATRIAE PATRIS SERENISSIMI, FRIDERICVS SIGISMVNDVS LIBER BARO DE HESBERG, IOANNES GVILIELMVS FRIDERICVS LIBER BARO DE SECKENDORF, et IOANNES DE ROTHKIRCH, qui ſimul ſupremo ſenatui, gubernandae patriae cauſa inſtituto, cui nomen Regimini, praeſidet. Perilluſtres quoque IOANNES HENRICVS DE DOBENEK, FRIDERICVS LVDOVICVS L. B. DE LVCHAV, cum ADAMO ANTONIO DE MEYERN, Conſiliarii intimi, quorum iſte ſupremo Iudicio eccleſiaſtico, quod Conſiſtorium appellant, praeeſt, ille Collegium prouinciale dirigit, hic uero fiſcum, ſeu Cameram PRINCIPIS ordinat, ſolemnibus noſtris

non

Digitized by Google

non minus intereſſe uoluerunt. Aegro quidem animo ſola tantorum uirorum nomina recenſeo, ſed et fines, operi praeſcripti, ambages plane prohibent, et, quod praecipuum eſt, eiusmodi argumentum aggredi haud libet, cui pertractando imparem me ſentio, quippe animus meus non ſatis expertus eſt ad praedicanda merita ſpeciatim, quibus ſinguli tanta honoris et dignitatis faſtigia ornant, cum unusquisque gratia PRINCIPIS polleat, et patriae laudem iam diu ſibi conciliauerit. Seriem nimis prolixam redderem, Illuſtres Viros et Spectatiſſimos omnes nominatim recenſendo, qui eo die PRINCIPEM AVGVSTVM, Erlangam intrantem, comitati ſunt, quam ob rem nihil, niſi id ſolum, addendum eſſe, puto, omnia tanti tamque Magnanimi PRINCIPIS ſplendore digna fuiſſe: reliqua priuato iudicio cuiusque relinquo, ſiquidem nemo facile tam magnificum apparatum animo ſibi finget, ut re uera maiorem et illuſtriorem praeſens non fuerit admiratus. Poſtremo loco equitum Beyersdorfianorum cohors, paribus armis, equis ſimilibus, eodemque ueſtimenti genere elegans, prodiit, totius agminis a tergo praeſidium. Inter haec pulſata omnium templorum aera, et tubarum clangor, et ſtrepitus tympanorum, et creberrimi tormentorum bellicorum fragores dignum ſolemnitate indicium, laetitiaeque publicae documentum fecerunt eximium. Iamque dies fere totus conſumtus erat, quo ad ueſperam inclinante aditus ad SERENISSIMVM PRINCIPEM datus eſt uniuerſis Profeſſoribus. Vti uero coeli ſereni claritas interdiu uotis noſtris apprime reſponderat, ita etiam prima ſtatim nox PRINCIPIS propoſito, noſtraeque exſpectationi plane ſatisfecit, coecas nubes tenebrasque ſpiſſas undique offundendo, quo factum eſt, ut ignium feſtiuorum ſpectaculum, ſolemne quaſi principium publicae caerimoniae, intra urbis moenia peragendae, ſumma atque perfectiſſima elegantia eluxerit. Ignifera enim miſſilia tanta multitudine ſimul eruperunt, ut totum coelum longe

Digitized by Google

ge lateque ardere, et ſtellae, ex diſciſſis cum fragore globis ignitis emergentes, ſidera, alias conſueta, multis partibus ſuperare uiderentur. Haec ſurſum acta et in coeleſti loco conſpicienda: uerum infra ea aeque pulchrum gratumque ſpectaculum fuit. Horti ſpatioſiſſimi, palatio PRINCIPIS contermini, omnisque eorum amoenitas, quam ſtatuae partim, ubique diſpoſitae, partim arbores, aut longa ſerie ſe inuicem ramis contingentes, aut ſingulae, altiſſimarum pyramidum figuram referentes, abunde praebent, artificioſo ignium opere adeo illuminata erat, ut ſpectatores e longinquo ſingula diſtincte et adcurate diſcernere poſſent. Medios inter ignes pyramis ardens eminuit, cui adfixa haerebant uerba, diſcolori flamma ſcripta: VIVAT FRIDERICVS ET FRIDERICIANA!

DENIQVE eodem illo die FRIDERICIANA noſtra exoptatiſſimorum hoſpitum aduentu exhilarata eſt, ſiquidem Wirceburgenſis Academia ad augenda ſolemnia noſtra ablegauerat Virum Illuſtrem et Iurisconſultiſſimum, IOANNEM PETRVM BANNIZAM, V.I. D. Reuerendiſſimi et Celſiſſimi Epiſcopi, Principis Bamberg. et Wirceburgenſis Conſiliarium Aulicum, Eiusdemque in Vniuerſitate Wirceburgenſi Iuris feudal. et criminalis, nec non Praxeos Supremorum Imperii Dicaſterior. et Cancellariarum Profeſſorem publicum et ordinarium; Altorfienſis autem legatos conſtituerat binos praeſtantiſſimos, Summe Reuerendum Virum CHRISTOPHORVM FRIDERICVM TRESENREVTERVM, S. S. Theologiae D. eiusdemque Profeſſorem publicum ordinarium, ac V. D. Miniſtrum, cum Viro Magnifico, atque inter eruditos ſcriptis editis celebratiſſimo, CHRISTIANO GOTLIB. SCHWARZIO, Palatii Caeſarei Comite, Eloquentiaeque et Hiſtoriarum Profeſſore publico ordinario. Accidit, ut eodem fere tempore et Wirceburgenſis, et Altorfienſes legati aduenerint, quorum ſinguli, redditis, quae fidem facerent, litteris, a Prorectore, FRIDERICIANAE nomine excepti, iisque diuerſo-

ria,

Digitized by Google


Abbildung
der
Vniuerſitäts
Gebäude und
umliegenden Häuſer
wobei Zugleich
die ſolenne Pro
ceſſion am Ein
weihungs-Tage
vorgeſtellet
wird,
14. Nov.
1743.
B

Digitized by Google

ria, ubi publicis ſumtibus, quantum fieri poterat, commode degerent, adſignata ſunt.

Cvm uero Prorectoris mentionem fecerim, opus eſſe uidetur explicare, qua ratione ante inauguratam Academiam ille conſtitutus ſit. Res ita ſe habet. In FRIDERICIANAE noſtrae continuatione, ſi memoriam eius ab auſpiciis Byruthinis repetimus, is euentus praecipue, quo priuilegia Caeſarea impetrauit, tempus praeteritum a futuro diſtinxit, et ipſius Academiae formam inſigniter mutauit. Namque ab hoc tempore MARGGRAVIVS SERENISSIMVS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI titulum SIBI attribuit, et edixit, ut, qui adhuc Rectoris nomen munusque geſſerat, in poſterum Prorector uocaretur, eodemque honore et pari auctoritate, uti reliquarum Academiarum magiſtratus, FRIDERICIANAE praeeſſet.

Venio nunc ad illum diem, quo noua Academia Deo dedicari, ſolemni ritu inaugurari, priuilegiaque, ei olim conceſſa, partim de nouo promulgari, partim corroborari iterum, et omnia rite publiceque peragi debebant, quibus FRIDERICIANAE forma et quaſi naturalis nota ſtatui, egregiumque hoc opus perfecte confirmari atque ſtabiliri poterat. Huius rei cauſa Profeſſores mane iam conuenerant in aedibus academicis, ubi lectis VIII. deſignatoribus, qui ordini praeeſſe, unicuique locum ſuum attribuere, et Mareſchalli alias uocari ſolent, negotia gerenda dederunt. Duobus igitur demandatum eſt, ut Splendidiſſimos Academiarum Ablegatos ad ſacra noſtra, ſolemni ritu iam auſpicanda, inuitarent, qui, paulo poſt praeſentes, beneuolentiam ſummam nitidis orationibus nobis declarauerunt. Primo autem Illuſtris IOANNES PETRVS BANNIZA Conſiliar. Aul. I. V. D. et P. P. O. hoc modo exorſus eſt:

Magnifice Academiae Prorector,
Viri ſumme Venerandi, Iuriſconſultiſſimi, Experientiſſimi, Subtiliſſimi, Ampliſſimique, Fautores atque Amici honoratiſſimi,

DVM *aulica rheda ſplendidiſſima huc delatus, vos, Patres Conſcripti, in academicis aedibus hic omnes ac ſingulos iamiam congregatos inuenio, atque inſignibus doctoralibus condecoratos venerabundus coram ſuſpicio, in ipſo conclauis academici limine ſubſiſtens, non poſſum non, ea, qua decet, obſeruantia, extemporaneo licet ſermone, vos et amice alloqui, vobisque cordicitus et gratulari, et congaudere. Gratulor itaque vobis, quod ad Erlangenſem Academiam, ſolennibus mox ritibus inaugurandam, a Magnificentiſſimo eiusdem CONDITORE, SERENISSIMO MARGGRAVIO, largiſſimis ſalariis gratioſiſſime ſitis euocati Profeſſores quatuor facultatum celeberrimi. Congaudeo, quod et ego annutu clementiſſimo REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS mei, Franconiae Ducis, nomine* VNIVERSITATIS WIRCEBVRGENSIS, *ad praeuiam veſtram perhonorificam inuitationem huc ſim deſtinatus, qui ſacris ſolennibus inaugurationis inclytae Academiae veſtrae interſim ſpectator, et pro ſpeciali hoc honore,* WIRCEBVRGENSI *Academiae exhibito, gratiarum actor deuotiſſimus. Iubeat Deus T. O. M. perennare AVGVSTAM DOMVM BRANDENBVRGICO-CVLMBACENSEM, florere hanc Academiam, vigere vos Profeſſores, atque Commilitones huc confluentes, uideo autem permultos, et rerum bene gerendarum conſilia feliciter ſuccreſcere! Me vero quam maxime vobis habete commendatum.*

Hanc excepit allocutio ſumme Reuerendi CHRISTOPHORI FRIDERICI TRESENREVTERI, S. S. Theologiae D. et P. P. O. nomine Deputatorum Academiae Altorfinae.

Magnifice Domine Prorector,
Profeſſores nouae FRIDERICIANAE *excellentiſſimi,*
Fautores honoratiſſimi,

ILLVXIT, *quae Dei gratia eſt, exoptatus ille dies, quem almae* FRIDERICIANAE *Erlangenſis SERENISSIMVS illius CONDITOR felicibus auſpiciis natalem conſtituit. Illuxit, et omnium animos in admirationem, immo in ſtuporem fere, rapit. Quo nos enim cunque conuertimus, nil niſi magnifica, nil niſi ſplendida, nil niſi iucunda et oculis et auribus ſeſe obiiciunt. Elucet vbique MAGNI PRINCIPIS veſtri, quem humani generis delicias non immerito dixeritis, clementia atque maieſtas plane eximia. Elucet non minus incomparabilis EIVS, et quo maior concipi vix poteſt, erga Academiam ſuam*

fauor

Digitized by Google

favor atque benignitas. O vos felices, quibus dies hic honores, gaudia, et quae humani pectoris vota eſſe poſſunt, adfert quam cumulatiſſime! O nos felices pariter, quibus veſtrae felicitatis teſtes, tantaeque ſolemnitatis, qua dies hic effulget, laetos contingit eſſe ſpectatores. Noſtrarum in praeſenti partium eſt, vt non noſtro ſolum, ſed ALMAE *etiam* ALTORFINAE *nomine, quae humaniſſima veſtra inuitatione inducta, nos huc aduolare iuſſit, pia pro perenni veſtra incolumitate nuncupemus vota. Faxit Supremum Numen, vt non ſolum ſacra haec auſpicalia, inter ſincera ſanctiorum Muſarum gaudia, proſpere feliciterque tranſigantur, ſed et ipſa noua haec bonarum artium ſedes exoptatiſſimo rerum ſucceſſu effloreſcat, atque, omni felicitatis genere cumulata, praeſtantiſſimae cuiuſcunque doctrinae lumen longe lateque diffundat. Quod reliquum eſt, omnia, quae exigi poſſunt, humanitatis officia vobis ſpondemus, veſtroque fauore, quo nihil nobis erit prius, nihil antiquius; vt et almam Altorfinam, et nos complectamini, etiam atque etiam rogamus.*

Ad haec, qui Prorectoris munere adhuc fungebatur, IOANNES GVILIELMVS GADENDAM, ita fere reſpondit:

GRATO *animo ab uniuerſa* FRIDERICIANA *agnoſci eam beneuolentiam, qua incluta Franconiae decora, Academiae* WIRCEBVRGENSIS *et* ALTORFINA, *ipſius deſideriis placido nutu adſentire, Collegasque* SIBI *coniunctiſſimos, altera, Illuſtrem* IO. PETR. BANNIZAM, *altera uero ſumme Reuerendum* CHRISTOPH. FRID. TRESENREVTERVM, *et Magnificum* CHRISTIAN. GOTLIB. SCHWARZIVM, *ad concelebranda ſolemnia ſua auſpicalia ablegare, utraque autem tantis interpretibus amorem fauoremque mutuum noſtrati declarare uoluerit. Vt ambabus igitur Academiis nil, niſi quod laetum, fauſtum et ſalutare eſt, in poſterum contingat, utque ipſarum ſplendor in dies augeatur, id impenſius optare, ſimul autem certe confidere, amicitiam,* FRIDERICIANAE *in ipſius fere cunabulis ab utraque inſigni documento iam demonſtratam, numquam interruptum, ſed magis magisque temporis ſucceſſu confirmatum iri; id enim nos omnes et ſingulos continue ſeduloque adlaboraturos. Ceterum gratulari ſe ſibi, reliquisque cunctis* FRIDERICIANAE *Profeſſoribus eam occaſionem, qua cum tantis Viris, non ſolum munerum dignitate maxime praeclaris, ſed fama etiam celeberrimis, arctiorem contrahere familiaritatem liceret, ex qua certos egregiosque fructus iure meritoque ſibi pollicerentur. Denique rogare et obſecrare, ut laetitiam noſtram ſolemnem hilaritate ſua amplificarent, et, quemadmodum feſtorum auſpicalium Academiae noſtrae participes eſſent, ita non minus reliqua bona omnia, ſi quibus nos inſtructos reperirent, communia ſibi, immo propria eſſe, putarent:* FRIDERICIANAE *nihil magis iam cordi eſſe ea ad curatione, qua tam Illuſtres, tamque Magnificos hoſpites pro dignitate ſua haberet. Attamen ab hac ſollicitudine* SERENISSIMVM MARG-

Digitized by Google

GRAVIVM, RECTOREM FRIDERICIANAE MAGNIFICENTISSIMVM magna ex parte Academiam liberaſſe, IPSVMque iusſiſſe, ut, finitis ſacris, nobiſcum in aula excipiantur. Qua PRINCIPIS AVGVSTI clementia et inſigni munificentia nos fretos, eo magis ſperare, fore, ut profectionis, noſtra cauſa ſuſceptae, illos minime poeniteret.

Iam uero Academia uniuerſa proceſſum apparauerat, et Profeſſores quidem publici, tum primum ueſtimentis ſolemnibus condecorati, pro ratione ordinis, cui adſcripti, diuerſis coloribus diſtincti erant. Namque SERENISSIMVS FRIDERICIANAE CONDITOR munificentiae ſuae adeo indulſit, ut, quos publico docendi munere honorauerat, eos pretioſo quoque ueſtimentorum ornatu donaret. Amictus Profeſſoribus proprius, et ſpeciatim quaſi attributus, humeris, inſtar pallii fere, incumbit, et laxis inſtructus manicis, ad talos demittitur, textum laneum eſt, ſed tenue et nitidum, lataeque illud circa humeros atque ceruicem, circa manicas, et a fronte, ubi patet, ambiunt laciniae holoſericae. Ad hanc togam accedit capitis ornamentum, libertatis inſigne, pileus quadrata fere figura, e texto holoſerico confectus. Ordines, quos Facultates uulgo uocant, coloribus diſcriminantur ita, ut atro niteant Theologi, Iurisconſulti phoeniceo ſplendeant, ſanguineo Medici inſigniantur, et Philoſophi uiolaceo modeſtiam continentiamque demonſtrent.

Prorectori autem futuro, ut is dignitati ſuae conuenienter, etiam externo habitu, a reliquis eo melius diſtingueretur, pallium breuius, pileusque, utrumque holoſericum, colore coccineo, ubique fere opertum auro, deſtinatum erat; quod quidem eo tempore Academiae nondum tradiderat RECTOR MAGNIFICENTISSIMVS, ſed cum reliquis nouae FRIDERICIANAE inſignibus, ſplendorisque academici documentis, in palatio omnium adſpectui expoſitis, paulo poſt ipſe conferre decreuerat. Iuſſu igitur PRINCIPIS ad nos perlato, aedes academicas reliquimus, primo-

Digitized by Google

primoque ſtudioſi ciues, praemiſſis deſignatoribus cum caduceis CHRIST. ERN. KLEEMAYER, et GVOLFG. HENR. RVCKDESCHEL, bini incedentes, pedem mouerunt uerſus palatium, quos illi ſecuti ſunt, qui aliunde confluxerant, ut, demonſtrata nobis dexteritate atque doctrina, ſummis honorum gradibus in iuris, medicinae et philoſophiae ſcientiis inter ipſa ſolemnia condecorarentur. Qui a Theologis eiusmodi dignitate mactari uolebant, illi ſacerdotibus urbanis, propter officii ſacri communionem, ſocios ſe adiunxerant. Profeſſorum ordines, philoſophicum, medicum et iuridicum alii deſignatores, IO. CHRISTIAN. SCHVBART et SIMON GABRIEL SVCCOV, praeceſſerunt. Academiarum, Wirceburgenſis et Altorfinae, Legatis locus inter ſuprema Profeſſorum paria ſingulis adſignatus eſt, ipſosque a reliquis deſignatores, CHRISTIAN. GOTLIB. MERKLIN, et IO. GOTL. FAVST DE ASCHAFFENBVRG, diſtinxerunt; et Magnificum quidem SCHWARZIVM ANDREAS ELIAS ROSSMANN cum IOANNE GOTLIB. GONNE, ſumme Reuerendum TRESENREVTERVM IOACHIMVS EHRENFRIED PFEIFFER et CASPAR IACOBVS HVTH, Illuſtrem BANNIZAM IOANN. GVILIELM. GADENDAM, et GERMANNVS AVGVSTVS ELLROD, e noſtris Profeſſoribus comitati ſunt. Wirceburgenſis Academia Legati ſui ſplendorem eo in primis auxerat, quod ſolemnia ueſtimenta, quibus, tamquam dignitatis documentis certiſſimis, Doctores et Profeſſores ordinarios inſignire ſolet, aſportare Ipſum iuſſerat, quorum elegantiam probatam non ſolum omnes laudarunt, ſed ex eorum quoque adſpectu eo maiorem uoluptatem perceperunt, quo iucundior animo contingit comparatio uariorum, ſi ea ſenſibus ſimul obiiciuntur.

CIRCVS palatio PRINCIPIS a fronte adiacet ualde ſpatioſus, aedificiis undique cinctus, ubi mercatorum, ſacerdotum et Magiſtratuum Erlangenſium Collegia iam conuenerant, quorum e regione Academia uniuerſa ueſtigium ſiſtens, lectos VIII. ciues ſtudioſos, illuſtri genere natos, totidemque ex honeſtiſſimis ciuium familiis oriundos, cum

duobus deſignatoribus, in palatium miſit, quibus dignitatis auctoritatisque Inſignia, FRIDERICIANAE deſtinata, traderentur. Iis igitur, uti puluillis holoſericis, aureisque fimbriis egregie ornatis, ſingula impoſita erant, annuente PRINCIPE SERENISSIMO, e manu Perilluſtris Directoris et Cancellarii impetratis, hoc ordine reuerſi ſunt, ut IOANNES PHILIPPVS CAROLVS DE DVNGERN, Erlangenſis, auratas aedium academicarum claues, FRIDERICVS MARTINVS NOBILIS DOM. DE PLOTHO, Pomeranus, Actorum tabulas, et album, nomina ciuium continens, CAROLVS FRIDERICVS DE DVNGERN, Erlangenſis, IV. libros, in quibus ſingularum Facultatum ſtatuta inſcripta erant, LVDOVICVS LIBER BARO DE MONTOLIEV, Berolinenſis, pallium et infulam Prorectoris, DITERICVS IOANNES EHRENREICH DE REDWIZ, Erlangenſis, Sceptrum argenteum, auro obductum, et caelato opere magnifice elaboratum, GVNTHERVS DE BVNAV, Buega-Francus, alterum Sceptrum, RVDOLPHVS DE BVNAV, illius frater, Sigilla Academiae et Facultatum cum ſtatutis generalibus, HENRICVS autem SECVNDVS DE BVNAV, ex eadem familia, Priuilegia portaret. Quae poſtquam tradita ſunt, et, auſpiciorum inſtar, ſuffecta Academiae, qui adhuc magiſtratus uicem geſſerat, IO. GVILIELM. GADENDAM, loco ceſſit, et ad ordinem Iurisconſultorum Profeſſorum, unde emerſerat olim, quietiſſime ſe recepit, ea contentus ſorte, quod PRINCIPI SERENISSIMO, RECTORI MAGNIFICENTISSIMO, rebus proſpere geſtis, cuncta reſignare liceret. Iam uero totius pompae et celebritatis anteſignani fuerunt bini Magiſtri, alter ſtabuli, palaeſtrae alter academicae, quibus ducibus primo portitores pignorum noui faſtigii, ſinguli cum ſociis, progreſſi, eisque iterum ſtudioſi, et reliqui ordines, ſinguli praeuiis deſignatoribus, uti antea, ſucceſſerunt. Poſt Profeſſores Legatosque hoſpites, proxime deſignatores IOAN. ELIAS LILIEN et IOAN. PAVLVS REINHART, amboque Secretarii, Perilluſtrem Directorem et Cancellarium, DANIELEM DE SVPERVILLE, curru uectum ſeiugi, deduxerunt.

TEM-

Digitized by Google

TEMPLVM intrauimus nouae urbis maximum, cuius elegantiſſimam ſtructuram uix alia ſuperat moles, ubi ſingula bene praeparata, prudenter diſpoſita, magnificeque exornata, inuenimus. Area ſuperior integra, quam Chorum appellare ſolent, cum altari undique contecta erat tabulato plano, in quod XII. gradibus adſcendimus, ita tamen, ut in mollibus ubique ſtratis incedere uideremur. Namque ſubiecta inferior, et ſcalarum gradus, et tota contabulatio, et uniuerſa ſubſellia uelamentis rubris obducta oculis non pulcherrimam modo ſpeciem obiecerunt, ſed pedum quoque offenſionem nullam admiſerunt. Omnis uero circum paries nitidiſſimas imagines, aulaeis ſuſpenſis intextas, monſtrabat. Medium pegma e regione adſcenſus et ianuae magnae, qua patebat introitus, diſtinxit PRINCIPIS ſolium, diſpanſo laqueari ueſtitum ſuperne, et III. gradibus in altitudinem eminens latioribus, in quorum medio ſella Perilluſtris DE SVPERVILLE poſita, quam prope paulo inferius collocata erat tabula, inſignibus Academiae recipiendis deſtinata. Subſellia ad utrumque latus parata inuenerunt omnes, quibus huc uſque penetrare licuit, ſiquidem ad dextram PRINCIPIS, Profeſſores et Legati Academiarum, poneque illos Sacerdotes urbani cum peregrinis, ad ſiniſtram uero Perilluſtres Viri, Amici PRINCIPIS, conſiliorum participes, Aulaeque Officiales, et Ablegati Collegiorum iuſſi ſunt ſe locare. Vix locum occupauerat Academiae cohors, cum PRINCEPS adueniret, Illuſtriſſimis Viris, ſolemnem pompam pro officiorum dignitate augentibus, comitatus. Adſtabant ſolio Perilluſtres Viri, DE REIZENSTEIN, et DE POELNIZ, ille ſupremus aulae Mareſchallus ad dextram, ad ſiniſtram hic, ſupremus Pincerna, uterque lituum erectum mau tenens, pone PRINCIPEM Perilluſtris DE HAGEN, Praefectus praetorianorum equitum, et Illuſtriſſimus S. I. Comes DE SCHOENBVRG, ſupremus ſtabuli Praefectus, caerimoniae ſplendorem perficiebant. E regione ſolii milites, corporis cuſtodes, armis decorati, extrema tabulati occu-

Digitized by Google

pauerant. Reliqua templi amplitudo inſignis tanta hominum multitudine referta erat, ut podia ruinam uix effugere poſſe uiderentur, licet eam ob cauſam incumbis ſuffulta eſſent. Omnium autem et ciuium, et peregrinorum, oculi et ora in ſolum PRINCIPEM conuerſa erant, non propter ſpectaculi nouitatem et elegantiam, neque propter magnificentiam exquiſitam, qua, circumcinctus undique, prae reliquis omnibus eminebat, ſed propter iuſtam concinnamque corporis ſtaturam, et uultus maieſtatem plane mirabilem, quae quidem efficit, ut IPSVM adſpiciendi ſatietas numquam capiat illos, quibus, ea uenuſtate oculos paſcere, quotidie licet. Non minus aures ſonus et numerus permulſerunt ſuauitate abſolutiſſima, poſtquam chorus muſicus, quem AVGVSTA MARGGRAVIA ſuis ſumtibus alit, et huius ſolemnitatis cauſa adeſſe iuſſerat, tam uocibus, quam inſtrumentis, concinere coepit. Quo tacente, ſumme reuerendus GERMANNVS AVGVSTVS ELLROD, S. Theologiae Doctor et Profeſſor P. O. primarius, Conſiliarius Conſiſtorii, et Sacrorum Erlangenſium antiſtes, e ſuggeſtu ſacro concionatus, FRIDERICIANAM DEO O. M. dedicauit ſolemni, graui, et eleganter elaborata oratione, quae cum integra exhibeatur (t), de ea nihil commemorabo ſpeciatim, ſiquidem ipſa ſe, tamquam ſpecimen et Theologi et Oratoris abſoluti, ſatis commendabit. Poſt ea Vir Perilluſtris, DANIEL DE SVPERVILLE, FRIDERICIANAE DIRECTOR ET CANCELLARIVS, ſurrexit, et laudando pium PRINCIPIS ſtudium, gratulando NOMINI AVGVSTO immortalitatem, agendoque gratias pro ea fiducia, qua ipſi ordinandae Academiae prouincia demandata erat, dicere exorſus eſt. Elocutionem actionemque oratoris uerbis deſcribere, et deſcribendo referre, uix licet, praeſertim, ubi is omnia egregie, et materiae conuenienter expreſſit, quapropter conatus, huius rei cauſa ſurgentes, plane cohibere conſtitui, cum Vir Excellentiſſimus artem cum

(t) Vid. pag. *55.* (N)

Digitized by Google

cum natura coniunctam efficere ſummam perfectionem, ſuo exemplo abunde demonſtrauerit. Ita enim locutus eſt, ita ſe geſſit ubique, uti decet eum, qui tantum negotium, TANTI PRINCIPIS auctoritate, coram innumera hominum multitudine, et in conſpectu ſagaciſſimorum Virorum, glorioſe perficiendum ſuſcepit. Adeſt tota oratio, prout eam illo die recitauit (u), quam legere ſane non negligent ii, qui pulchra et polita amant. Vehementiam dictionis carpere alii quodammodo uiſi ſunt, iniuria magis et imprudentia, quam rei ueritate, iique ipſi fere, qui multo ſane uehementiores in cauſis minimis perexigua auctoritate ſe prodere ſolent. Namque non tam in illos, quos eo tempore Academiae aduerſarios hic eſſe putauimus, graui reprehenſione inuectus eſt Vir Perilluſtris, quam in omnes, quos aliquando, et fortaſſe perpetuo, hoſtes fore, ipſemet praeuidit, uidelicet eos perſtrinxit, qui inuidia, maleuolentia, calumnia, obtrectatione, et eiusmodi affectionibus animi excitati, gloriam FRIDERICIANAE, tum ſurgentem, rodere pulchrum duxerunt, et adquiſitae in poſterum detrahere gaudebunt, ut ſoli eruditionis palma digni uideantur. Aſt eos aduerſarios quis non expertus eſt, aut quae Academia illis adhuc carere potuit? Alios inimicos FRIDERICIANA, uti opinamur, nullos habet; illi autem ita ſunt exigui, ita inanes, ita puſilli, quorum ſiue laudem, ſiue uituperationem perinde aeſtimare, maioremque ex illorum liuore uoluptatem, quam ex beneuolentia fructum, capere poſſimus. Recitata porro ſunt publice Priuilegia Caeſarea ab Academiae Secretario, GOTHOFREDO MICH. PFVNDEL, J. V. D., tum Perilluſtris Cancellarius ſingulos Profeſſores, quemadmodum in qualibet Facultate inſtituti erant, euocauit, et nominatim appellauit, eosque ad munus ſuum ſtrenue obeundum, grauiſſimis argumentis hortatus eſt. Erant autem Ordinis theologici GERMANNVS AVGVSTVS ELLROD, IOACHIMVS EHRENFRIED PFEIFFER, et CASPARVS IACOBVS HVTH: iuri-

 dici,

(u) Primum inter additamenta locum ſibi uindicat.

dici, IOANNES GVILIELMVS GADENDAM, ANDREAS ELIAS ROSSMANN, IOANNES GOTTLIBIVS GONNE, CAROLVS ADOLPHVS BRAVN, et IOANNES IVSTINVS SCHIERSCHMID: medici, IOANNES FRIDERICVS WEISSMANN, CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIDEL, MATTHIAS GEORGIVS PFANN, CHRISTIANVS SAMVEL GEBAVER, atque IOANNES ADAMVS HOFFMANN: philoſophici, IACOBVS GVILIELMVS HOFFMANN, GEORGIVS GVILIELMVS POEZINGER, et IOANNES SIGISMVNDVS KRIPNER: ſed quibusdam, Theologis partim, partim Iurisconſultis, quaedam philoſophiae partes ſimul demandatae ſunt. Omnes igitur ad ſolium PRINCIPIS accedere iuſſit, ut fidem ſacramento confirmarent, cuius formulam Vir Illuſtris, CHRISTIANVS FRIDERICVS PETERMANN, PATRIAE PATRI AVGVSTO a conſiliis intimis Regiminis, et a ſecretis relationibus, praelegit, quo praeſtito, Proreꝺorem deſignauit Magnificum, primum ab inaugurata Academia, Virum Conſultiſſimum ANDREAM ELIAM ROSSMANNVM, J. V. D. et P. P. O. Aulaeque Conſiliarium. Vniuerſo ſplendore inſtructus, omnique is caerimonia initiatus eſt, quam faſtigii dignitas requirit, ſi quidem propius adeſſe iusſus, primo obſtrictus eſt iureiurando ſpeciatim, deinde, pallio et infula ornatus, bina ſceptra accepit, et reliqua quaeuis Inſignia a Perilluſtri Cancellario obtinuit. Procancellarius Academiae, qui ſimul in Comitum S. Palatii Caeſarei numerum relatus eſt, ui priuilegiorum non ſit alius, niſi Profeſſor Ordinis Iurisconſultorum; hanc prouinciam PRINCEPS SERENISSIMVS deſtinauerat IOANNI GVILIELMO GADENDAM, cui ea tum quoque attributa eſt. Reliquum erat, ut ſingularum Facultatum Decani denominarentur, qui quidem honor primum obtigit e Theologis, ſumme Reuerendo PFEIFFERO, e ICtis, Magnifico ROSSMANNO, e Medicis, Experientiſſimo SCHMIDELIO, e Philoſophis, Ampliſſimo POEZINGERO. Paratis ita omnibus atque perfectis, quibus, tamquam fundamentis, Academia legitime et conſtanter ſuperſtrui debebat, et iamiam ſuperſtructa effloreſcebat, nihil plane deeſſe uidebatur ſummae perfectioni,

Digitized by Google

ni, niſi exercitium iuris poteſtatisque, quam IMPERATOR INVICTISSIMVS et PRINCEPS SERENISSIMVS clementiſſime conceſſerant. Cum uero inter Profeſſores Theologos, ICtos, et Philoſophos reperirentur aliquot, qui adhuc neglexerant Doctorum dignitatem ſibi comparare, qua tamen, pro more in Academiis recepto, carere non poſſe uidebantur: Cancellarius Perilluſtris Decanos rogauit, an forte Collegis ſuis illum honoris gradum in praeſenti impertire uellent? Cui poſtquam theologici ordinis Decanus et ſuo, et reliquorum nomine, reſpondiſſet, ueniam creandi renunciandique petendo, et eam ſtatim obtinuiſſet, Doctorum et Magiſtrorum tituli, iura, atque priuilegia data ſunt ex Facultate theologica duobus, uni ex iuridica, ex philoſophica autem quatuor Profeſſoribus. Huius rei cauſa cathedra ad dextrum tabulati latus, prope Profeſſorum ſubſellia, ante iam exſtructa erat; licet autem orationes, in ipſo promotionis, quam uocant, actu recitatae, perbreues fuerint, nihil tamen e caerimoniis, ritibusque ſolemnibus, alias adhiberi ſolitis, intermitti curauimus (x). Addidit deinde Perilluſtris Director pia uota pro incolumitate PRINCIPIS, et ſalute perenni totius DOMVS AVGVSTAE, atque ſic tandem dicendi finem fecit. Gratiarum actio ſolemnis, FRIDERICIANAE nomine CONDITORI AVGVSTO perſoluenda, Prorectori Magnifico reſeruata erat, qui illam eleganti oratione latina, ampliſſimisque uerbis praeſtitit (y). Omnibus igitur rite et feliciter peractis, DEVM immortalem, qui nobis adhuc impenſe fauebat, uti rerum coeptarum euentus fortunatiſſimi abunde demonſtrant, cantu celebratiſſimo laudauimus, impulſis omnibus inſtrumentis muſicis, editisque crebrius tormentorum bellicorum, iuxta templum collocatorum, fragoribus, quibus quidem aër tam ſubito diſpanſus eſt, ut uitra in feneſtris templi paſſim rumperentur. Finito cantu PRINCEPS diſceſſit, ſequentibus amicis, omnique EIVS comitatu ſuccedente; tum deſignatores

(x) Vti renuntiandi formulae p. 42. ſſ. declarant.
(y) Eam reperies p. 39.

Digitized by Google

tores Directorem Perilluſtrem deduxerunt, alii uero ſtudioſos ciues praeceſſerunt, alii iterum Inſignium academicorum portitores; reliqui Profeſſoribus praemiſſi ſunt, eoque ordine aedes academicas intrauimus cum Legatis Academiarum, quorum duo, Wirceburgenſis nempe et alter Altorfinus, Prorectorem FRIDERICIANAE nouum comitati ſunt, tertius in proximo antecedentium pari medius fuit. Vix ueſtimenta ſolemnia deponere licuit, cum in palatium PRINCIPIS accerſeremur, ubi tanta gratia excepti ſumus, ut MARGGRAVIVS SERENISSIMVS SIBI conuictores nos eſſe, iuſſerit, ita quidem, ut ad IPSIVS ſiniſtram Summi et Perilluſtres Viri, Adminiſtri regiminis, Amici, Aulaeque Praefecti, ad dextram poſt Cancellarium Perilluſtrem Prorector magnificus, ceterique Profeſſores omnes, collocarentur. Nullum ſane eo tempore ſplendoris et magnificentiae perfectiſſimae documentum omiſſum, nobis autem ea res noſtro muneri paulo aliena uiſa eſt, ſiquidem, quibus toto uitae ſpatio in laboribus et operis maxime deſudandum, a tam lauto tamque iucundo principio exordiri uix conueniebat. Denique eodem die gratioſa PRINCIPIS munificentia uniuerſos ciues, literarum ſtudioſos, ornauit. Hi, ne in tanta celebritate nihil agere uiderentur, pulcherrimum rerum ſuarum initium duci ab eo putauerunt, quo MVSARVM STATORI PRINCIPI animum, ſumma pietate deuotum, documento quodam publico et luculento exponerent. Prima igitur nocte, qua dignoſci poterat tedarum, umbras illuſtrantium, ſplendor, totus eorum chorus, inſtrumentis ſuaui concentu reſonantibus, apparuit, et, circum ante palatium cereis late cingens, PRINCIPI OPTIMO ET CLEMENTISSIMO ſubmiſſo animi adfectu debitas gratias perſoluit. Miraculi inſtar ſuccreſcebant tabulae, lautiſſimis epulis continuo inſtructiſſimae, et dolia, uino delicato repleta, Bacchi fauorem non minus, atque Cereris abundantiam, ſedes noſtras beare, indicabant. Nullius tamen in tanta rerum copia turbae ſigna uel leuisſima data, non concurſatio, nullae rixae, non clamor

Digitized by Google

clamor inconditus fuit. Edere ad ſatietatem, bibere, quantum placet, uti libertate, largiter conceſſa, ſe poſſe, neque tamen ulla re abuti uelle, id ſane ciues noſtri eo tempore pulchre ſignificarunt, cum praeter adclamationem ſolemnem: Viuat FRIDERICVS et FRIDERICA SOPHIA VILELMINA AVGVSTI PATRIAE PARENTES! uix uerbum, uel ſuppreſſa uoce editum, audiretur.

Insequentem diem, V. Nouembr., conferendis in candidatos, praemiis eruditionis dignos, honoribus fridericiana dicauit. Magnus eorum numerus confluxerat ex uicinis et remotis locis, quos partim cupido adſpiciendi ſolemnia dedicationis, partim compendium ſumtuum, huius rei cauſa alias erogandorum, allexit. Impenſam enim, niſi forte ſua ſponte commotus, nemo plane tum facere debuit. Dexteritatem candidatorum antea explorauerant ſingulae Facultates legitimo examine, publica uero ſpecimina, quae diſputando edi ſolent, propter temporis anguſtiam non omnia expediri poterant, quam ob rem plurima differre in aliud magisque commodum tempus placuit; maior tamen pars promiſſis iamiam ſatisfecit. Abſentibus honores non decreuimus, niſi illis praeſertim, qui in muneribus publicis multum et cum laude uerſati, eruditionis atque uirtutis praemia dudum erant promeriti. Hicce dies cum heſterno, quod ad decus et ſplendorem attinet, in omnibus ſe non aequauit, neque plane diſſimilis fuit. Namque, ſublato pegmate, templo priſtina ſpecies reddita, nulla aulaea, non ſolium, neque reliqua magnificentiae documenta ibi expoſita erant, ſed binae tantum cathedrae iuſta altitudine latoque ambitu eminebant, quarum altera uniuerſum altare operiebat, altera tribus gradibus inferior, candidatis deſtinata, in totius concionis adſpectum ſe proferebat. Vtraque uelamento rubro undique ueſtita pulcherrimum ſpectaculum praebuit, praeſertim, cum inſignia PRINCIPIS, ſuperioris apici, auſpiciorum inſtar, impoſita, adderent religionem, circum uero ſubiecta, panno quoque rubro tecta,

elegantiam augeret. Poſtquam igitur omnes, et Legati exteri, et noſtri Profeſſores, et honorum candidati, et reliqui ciues ſtatuto tempore in aedibus academicis conuenerant, exinde eodem ordine, qui heri obtinuerat, in templum proceſſimus, ubi ad dextram Legatos et FRIDERICIANAE Senatum, ad ſiniſtram uero candidatos prope cathedram collocauimus. Singuli ordines Decanis ſuis facultatem deſignandi et diſtribuendi praemia permiſerant, e quibus Vir Summe Reuerendus, IOACHIM. EHRENFRIED PFEIFFER, S. Theol. D. et P. P. O., primo cathedram adſcendit, et, *de limitibus rationis in interpretanda ſcriptura ſacra* eleganti oratione (z) praefatus, creandi Doctores Theologiae libertatem rogauit. Cancellarius Perilluſtris, quem heſterni labores, infirma et dubia ualetudine ſuſcepti, haud mediocriter fatigauerant, praeſens quidem, ſed ſpectandi cauſa ſaltem adeſſe, uolebat, propter eaque PRINCIPIS comitatui ſe adiunxerat, et Procancellario prouinciam ſuam demandauerat, qui uoluntatem, omiſſis omnibus orationis ambagibus, ne tempus, quod uix ſufficere propoſito noſtro uidebatur, longius traheret, publice declarauit. Hac ratione M. GEORGIVS LVDOVICVS OEDERVS, Antiſtes Feuchtvvangenſis et eius dioeceſeos Decanus, M. FRIDERICVS THEODORVS EVSEBIVS SIMON, Paſtor primarius et Decanus Themarenſis, M. CHRISTOPHORVS NICOLAVS SPEISERVS, Sereniſſimi Ducis Saxo - Leucopetrenſis Conſiliarius Eccleſiaſticus, Paſtor primarius Friburgi, et eius dioeceſeos Superintendens, IOANNES FRIDERICVS STEIN, Eccleſiaſtes aulicus Bada-Durlacenſis, et IOANNES CHRISTIANVS LERCHE, dioeceſeos Neoſtadienſis ad Ayſſum Superintendens et Paſtor primarius, ſummis in Theologia honoribus, priuilegiis atque iuribus ornati ſunt. Abſoluto hoc negotio Ordinis iuridici Decanus et Brabeuta, Vir Conſultiſſimus, ANDREAS ELIAS ROSSMANNVS, I. V. et Ph. D. ac P. P. O., Conſiliarius aulicus, Academiae Prorector magnificus, ueſtimentis condecoratus ſolemnibus, cathedram occupauit, et de *dignitate*

(z) Vid. p. 65.

dignitate Cancellarii in Academiis Proteſtantium (a) erudite perorauit; tum uero XVII. petitores primo iuris utriusque Licentiatos renunciauit, e quibus deinde XV. Doctores creauit, omnia ornamenta, priuilegia atque immunitates, alias conferri ſolitas, ſingulis largiendo. Succeſſit Ordinis medici Decanus, Vir Experientiſſimus CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIDELIVS, D. et P. P. O., qui de *Lemmatum in medicina cauta applicatione* uerba publice fecit (b), poſt eaque V. Candidatis ſummos in medica ſcientia honores et iura legitime attribuit. Denique Ordinis philoſophici Decanus, Ampliſſimus GEORGIVS GVILIELMVS POEZINGER, Matheſ. et Phil. P. P. O., de *controuerſiis, finem numquam habituris*, dicendo commentatus eſt (c), et XXXI. candidatis Philoſophiae Magiſtrorum titulum et priuilegia ſolemniter impertiuit (d). Quae caerimoniae licet morantem diem magna ex parte fregerint, PRINCIPI tamen SERENISSIMO minime moleſtae fuerunt, adeo ut ad extremum exſpectaret, neque prius diſcederet, quam abſoluta eſſent omnia. Liberalitatem PRINCIPIS egregiam, et clementiam ſummam luculento ſpecimine hic etiam dies declarauit, ſi quidem praeter Legatos Wirceburgenſem, et Altorfinos, uniuerſumque FRIDERICIANAE ſenatum, Doctores atque Magiſtri, quibus honores modo obtigerant, omnes in palatio excepti, et praeſtantiſſimis epulis ſaturati ſunt. Veſperi debitum honorem exhibere Perilluſtri Cancellario ſtatuerant ciues noſtri, quapropter tedis lucentibus, choroque muſico inſtructi, quem ad modum decet Muſarum cultores, gratum animum expoſuerunt, Ipſiusque fauori et tutelae in poſterum ſe commendarunt.

TERTII diei ſolemnitas ad nutum MARGGRAVIAE AVGVSTAE, quae ſacra noſtra auſpicalia non tantum praeſentia ſua beauerat, ſed Academiam permultis

---

(a) Orationem exhibet pag. 73. nomina Doctorum uide p. 83. ſ.

(b) Exſtat oratio pag. 87. promotorum nomina p. 96.

(c) Vid. p. 99.

(d) Nomina eorum monſtrat pag. 102.

quoque et maxime praeclaris beneficiis ornauerat, accomodata eſt. Vti uero optima quaeque ſunt rariſſima; ita eiusmodi fortuna haud frequenter ſane obuenit collegiis literariis, ut PRINCIPVM FEMINARVM gratia creſcant et amplificentur. Nobis ab AVGVSTA lux adfulſit benignior, quo factum eſt, ut ſoliciti eſſemus maxime de iis rebus, quibus ILLI ueneratio pietasque noſtra magis et clarius monſtrari poſſet. CHRISTOPHORVS ERHARDVS KNOLLIVS, Medicinae Doctor, lauream poëticam expetiuerat, qua quidem dignum iudicabant omnes, qui, quantum in ipſo eſſet ingenii, quantum profectus, explorauerant. Eam caerimoniam peragi hodie debere, SERENISSIMIS PERSONIS adnunciauimus, EAsque, an intereſſe uellent huic actui, interrogauimus. Quod poſtquam PRINCEPS ſtatim adfirmauerat, addidit AVGVSTA: optare ſe, ut profeſſorum quidam diſputando publice colloquerentur. Satis glorioſum ſingulis uidebatur, eo fungi officio; quapropter materiam diſputationis, conditionemque ſtatuendam, et nomina diſputantium decernenda ILLI reliquimus. Duplex argumentum fuit, ex abſtruſa philoſophorum doctrina deſumtum, alterum, *Corpus cogitans adeo non repugnare ſibi, ut concipi nequeat*, alterum, *Haud abſurdam uideri opinionem eorum, qui, corporum principia compoſita eſſe, adſerunt.* Vtramque ſententiam ſuam facere iuſſus eſt IO. GVILIELM. GADENDAM, et contra diſſentientium, CASP. IACOBI HVTH, et CAROLI ADOLPHI BRAVN, oppoſitiones negationis tueri, ea lege, ut ſola uernacula uterentur lingua, et neutra diſceptantium pars ſcripturae ſacrae auctoritatem argumentis ſuis admiſceret. Hac ratione in auditorio maiori ultra integram horam diſputauimus, poſt ea deſiderium ſuum eleganti carmine expoſuit Poëta, laureaque corona a Procancellario, tamquam Comite palatino, inſignitus, et priuilegiorum, quae dari ſolent, particeps factus eſt (e). Iam praeterlapſum erat tempus medii diei, nobisque commodum uidebatur dicendi filum abrumpere, ne PRINCIPES forte inuitos moraremur, ſed AVGVSTA, quae cauſſam noſtram in

(e) Vid. pag. 110.

in ſumma adhuc diſceptatione uerſari, perſpexerat, telam coeptam continuare amplius nos iuſſit, quam, IPSA adnuente, duabus fere horis iterum proſecuti ſumus. Diuini ſane ingenii acumen, quod in AVGVSTA noſtra uiget, quodque uenerantur ciues, exteri admirantur, poſteri deſiderabunt, uel ex eo ſolo innoteſceret, quod in interiores tamque reconditos philoſophiae receſſus penetrat; etiamſi alia argumenta non eſſent in promtu. Facile augurabitur unusquisque, et opinione quidem haud uana, non eadem, qua alias plerumque conſueuit, ratione cum comitatu familiarium feminarum AVGVSTAE comparatum eſſe. Poſt probitatem ſummam erudita ſagacitas, et rerum haud uulgarium cognitio, maximum ibi ferunt pretium. Vidimus utique eo tempore quasdam, quibuscum familiariter conuerſatur AVGVSTA, ſumma animi attentione excipere noſtram diſceptationem, quae, niſi exercitatis, nauſeam non excitare non poterat. Eminent inter reliquas praecipue Illuſtriſſimae ſummates, DOROTHEA HENRICA LVDOVICA et FLORENTINA IVLIANA, WITTENHORSTIO - SONSFELDIAE, illa Collegii canonici Wolmerſtadienſis Abbatiſſa ſumme Venerabilis et Suprema aulae AVGVSTAE Praepoſita, haec maxime Venerabilis Canonica Collegii-Schelſchedenſis, et SERENISSIMAE IVVENTVTIS PRINCIPIS Rectrix, neque minus GVILIELMINA DOROTHEA MARWIZIA, nupta Illuſtriſſimo S. I. Comiti DE BVRCKHAVSEN; de quibus, praeter nomina, plura referre modeſtia omnino prohibet. Ceterum AVGVSTAE aulam inter Viros primus ordinat, Illuſtriſſimus NICOLAVS IVLIVS S. I. COMES DE LOEWENHAVPT, ſupremus Praefectus, idemque PRINCIPI a conſiliis ſanctioribus. Hac in celebritate aliquot iam diebus uerſati, compluribusque ſummae gratiae documentis egregiis honorati Profeſſores rurſus in palatium arceſſiti ſunt, attamen eorum laetitiam quodammodo repreſſit PRINCIPVM diſceſſus, proximo die futurus. Eius rei cauſa Legati Academiarum data uenia, ad PRINCIPEM atque AVGVSTAM acceſſerunt, et pro acceptis beneficiis gratias egerunt.

Svperest, ut mentionem faciam monimentorum, quae ſaeculum noſtrum felici Academiae natali ſacra eſſe, iisque memoriam tam inſignis euentus ad poſteros propagare, conſtituit. Cum igitur Tabulae Altorfinae (f) et Carminis Tubingenſis (g) ſupra iam meminerim; ſequentium auctores honorifice quoque appellare decet. Bina illa carmina, alterum latina, teutonica alterum lingua, fridericianae Profeſſorum nomine exarata, noſtratibus originem debent. Illud enim (h) ſumme Reuerendum ellrodivm, qui, praeter Theologiam, rhetoricam et poëticam ſumma cum dexteritate docet, et in utriusque linguae facultate par eſt, parentem laudat, hoc (i) ſumme Reuerendi hvthii artem demonſtrat. Tertium, idque pariter elegantiſſimum, carmen illuſtris auctoris nomen in fronte gerit (k). Praeter ea, numos argenteos effingi et excudi, ipſa fridericiana curauit, quorum imagines in fine huius narrationis exhibentur. Neque illi impenſae PRINCIPIS OPTIMI liberalitas parce ſuffecit, ſed eo uſque proceſſit, ut numorum aliquot millia, ex utroque genere commixta, ſupereſſent in uulgus ſpargenda, quod negotium Academiae Quaeſtori commiſimus, qui ipſo dedicationis die, finitis ſacris, expectationi concurſantis populi ante palatium pulchre ſatisfecit. Cetera numiſmata duo (l), honori fridericianae dicata, a ſtudio priuato vestneri, Noribergenſis, pro eximia in hoc artificii genere ipſius peritia, profecta ſunt. Denique XI. Nou. Vir Conſultiſſimus, car. adolphvs bravn, recitationes Profeſſorum tam publicas, quam priuatas, oratione ſolemni (m) auſpicatus eſt, ſi quidem aedes academicae antea iam rite inauguratae erant diſputationibus aliquot publice denunciatis, et legitime abſolutis.

Stat igitur fridericiana noſtra Academia, caerimoniis rite dedicata deo, initiata ſolemni pompa, fulta OPTIMI CONDITORIS pia liberalitate, EIVSDEMque clementiſſimis praeſidiis ſecura uiget, floret, ſuſtinetur, amplificatur;

(f) Vid. p. 153. (g) pag. 157. (h) pag. 161. (i) pag. 165.
(k) pag. 173. (l) Quae p. 11. et 12. repraeſentantur. (m) pag. 112.

Digitized by Google

tur; AVGVSTAE uero muneribus in dies magis inſigniusque ornatur et locupletatur. Satis enim non uiſum eſt PRINCIPI SERENISSIMO, donatione pura tradidiſſe bibliothecam integram Academiae (n), quin potius ingentem et celebratiſſimum apparatum rerum earum, quae rarae et pretioſae a natura proueniunt, aut ab arte elaborantur, Byruthinae arcis egregium ornamentum, quod peregrini praecipue uidere geſtiunt, FRIDERICIANAE ſuae pariter donauit (o). Secuta eſt illuſtre hoc exemplum AVGVSTA, quae, quantum optimorum librorum abundantia eruditionis incrementa dilatet, egregie perſpiciens, certam FRIDERICIANAE ſpem fecit, fore, ut aliquando libri, ab IPSA ingentibus impenſis coëmti et undique collecti, bibliothecae academicae adderentur (p). Bene quidem nouimus, iſtum librorum apparatum exquiſitiſſima philoſophorum et hiſtoricorum opera, omneque id, quod Gallia, Britannia atque Italia pulchrum edidit, continere, neque minus externum tabularum, quibus chartae continentur, ſplendorem non ignoramus: ea uero FRIDERICIANAM ſane non commouent, ut aut Muſeum PRINCIPIS, aut AVGVSTAE bibliothecam, citius ſibi tradi uel uno die, exoptet; quin potius conditionem, quae utriusque traditionem reſeruat, quam ſeriſſime euenire, et futuro demum ſaeculo obtingere, omnes atque ſinguli quam maxime precamur! Inter ea bibliothecam nacti ſumus iamiam, omni ſupellectili neceſſaria pulchre inſtructam, cum, quae ab initio deeſſe uidebatur praeſertim, medicorum librorum copia, addita ſit paulo poſt Perilluſtris Cancellarii liberalitate. Generoſus hic atque praeſtantiſſimus ſcientiarum, optimarumque artium amplificator uti ingenio ſagaciſſimo plures eruditionis partes facile complexus eſt, atque naturali et medica ſcientia ſatis occupari numquam potuit, ſed, praeter ſolidam philoſophiam, hiſtoriarumque cognitionem, in theologia et iurisprudentia etiam ſibi adquiſiuit peritiam: ita quoque ex

 omni

(n) Quod pag. 19. memorauimus. Vid. inter addit. p. 25. §. 6.
(o) Vid. p. 27. §. 8. (p) Vid. p. 26. §. 7.

omni doctrinae genere optimos et utiliſſimos libros magno pretio comparauit, eosque, pretioſiſſimae inſtar patrimonii ſui partis, aeſtimauit, et illis uniuerſum tempus, quantum quidem a grauioribus negotiis ſupererat, terere conſueuit. Vix ſibi quisquam perſuadebit, Perilluſtrem Virum bibliotheca ſua facile carere potuiſſe; et ſane non potuit, niſi illum tandem uiciſſet amor Academiae. Cum autem huius cauſa omne ſtudium, omnem curam, omnemque operam olim impendiſſet, et, ipſa tandem perfecta, curtam ſupellectilem medicorum librorum in publica bibliotheca perſpexiſſet, non eos tantum, ſed omnes etiam reliquos Academiae ſtatim donauit. Itaque FRIDERICIANA noſtra elegantiſſimorum uoluminum multa millia oſtendit, et inter haec publicae opulentiae ſpecimina primi Directoris atque Cancellarii ſui memoriam ſancte ſolliciteque conſeruat haud intermorituram.

QVOD tandem ad dignitatem auctoritatemque FRIDERICIANAE attinet, noſtra ſane alii plane non eſt inferior Academiae. Etenim in criminalibus aeque ac ciuilibus ciuium ſuorum cauſis, PRINCEPS CLEMENTISSIMVS illi iurisdictionem conceſſit (q). Stipendia Profeſſoribus haud nimia quidem, tanta tamen, quibus pro muneris dignitate honeſte uitam ducere poſſint, reliquisque omnibus, qui officiis miniſteriisque funguntur academicis, ſtatis temporibus adcurate ſoluuntur. Sacra etiam propria ſibi ſtabiliuit Academia, in templo, aedibus noſtris publicis adiacente, rite exercenda, quorum curam et adminiſtrationem tertius Theologiae Profeſſor ſuſcepit. Eiusmodi inſtitutum aliae iam olim pariter adprobauerunt Academiae, neque ſine opera et ſumtibus perfecerunt; nobis uero ipſa rei commoditas id praecipue perſuaſit, ut, quod facillime fieri poterat, haud negligeremus. Templum enim, cui olim Sophiae memoria nomen dedit, exaedificatum, omnique re neceſſaria inſtructum, cum reliquis aedificiis nobis ceſſit, perpetuaque lege traditum eſt. In quo cum multis abhinc annis ſacra publica rite legitimeque peracta, iam autem aliquamdiu uaria

(q) pag. 34 et 35. §§. XII. XIII.

Digitized by Google


uaria ob impedimenta rurſus intermiſſa eſſent, eorum exercitium in praeſenti reſtituere, Academia aequum bonumque iudicauit. Illud propoſitum tabula publica Vir ſumme Reuerendus, CASPAR IACOBVS HVTH, denuntiauit, et paulo poſt concione habita, adhibitisque caerimoniis, ſacra iterum ſolemniter auſpicatus eſt.

Ne tamen animi tantum paſtioni proſpexiſſe uideatur Academia, corporis etiam alimenta procurauit, ordinando conuictionem publicam, ubi L. ſtudioſi ciues, quorum res anguſta domi ad ſumtus largiter erogandos minus ſufficit, quotidie excipiuntur, e quibus complures nullum plane, reliqui autem ita exiguum ſoluere pretium debent, ut cum rebus ſibi impertitis conferri nulla ratione poſſit. Verum ea ſolummodo initia eſſe, conſtat, ſucceſſus amplioris, ſiquidem benigna ſors incrementa multo latiora iamiam monſtrauit. Multis igitur commodis in principio ſtatim ornata eſt FRIDERICIANA, quibus quaedam Academiae diu caruerunt, neque ea, niſi ſtrenua opera, grauibusque impenſis tandem nacti ſunt: quod tamen non impedit PRINCIPEM noſtrum CLEMENTISSIMVM, quin illi in dies magis magisque bene cupiat, et, ubi commode fieri poteſt, ipſius reditus maiorem in modum adaugeat, fructusque amplificet. Huius rei illuſtre nuper experti ſumus documentum, quod ſilentio praeterire nefas eſſet. Mortuo quodam nobili uaſallo tota eius familia, quod ad maſculinum ſexum, extincta, feudumque ipſius, iure dominii, ut loqui ſolent, directi, ad PRINCIPEM reuerſum erat, quod IS nulli conferre maluit, quam FRIDERICIANAE, cui paulo poſt caſtrum cum omnibus fundis et colonis, qui ad illud pertinuerant antea, attribuit. Tam liberalis, tamque benigni PRINCIPIS imperio ſubiectum eſſe, quis non exoptet? aut quis dubitet, IPSO auſpice proſpere ac feliciter cuncta fore euentura? cum Academiae noſtrae ſucceſſus id teſtetur auſpicatiſſimus. Annus nondum elapſus eſt integer, iamque ciuium ſtudioſorum numerus ad CCC. prope extenditur, quorum plerique peregrinis e regionibus huc con-

Digitized by Google

fluxerunt; neque ſola loci amoenitas eſt, quae illos retinet, ſed abundantia potius literarum, praecepta optimorum ſtudiorum, et philoſophiae inſtituta eos capiunt, ita, ut, qui ſemel ad nos acceſſerunt, hic conſidere, quam ulterius progredi, malint. Parcae admodum, aut fere nullae, a laboribus academicis dantur intermiſſiones, neque dari poſſunt, ubi recitationes ſemeſtri ſpatio abſoluuntur. Cui Profesſorum induſtriae auditorum alacre diſcendi ſtudium omnino reſpondet, quippe ſocietas noſtra de plerisque optimam ſpem fouet, neque immerito, ſi perpaucos excipias, de uniuerſis ciuibus ſuis ſibi gratulatur.

Conservet modo devs optimvs maximvs PRINCIPEM AVGVSTAMque, nvmina fridericianae tvtelaria, concedat ILLIS maiora in dies gloriae incrementa, ut, qui in condenda Academia, tamquam uere magnis rebus, feliciſſime euenerunt IPSORVM conatus, ad maiora continue progrediantur, et, niſi in ſummo, ad quod res humanae adſpirare poſſunt, fortunae faſtigio non adquieſcant! Incolumem praeſtet SERENISSIMAM IVVENTVTIS PRINCIPEM, sponsam inter principes feminas lectissimam! Det quoque firmiorem corporis ſanitatem directori Academiae Perilluſtri, et ipſius conſilia fauſtis ſucceſſibus ſecundet! Ea ubi adſecuti fuerimus, de ſalute in poſterum noſtra ſane non dubitamus.



ADDI-

ADDITAMENTA
HISTORIAM
FRIDERICIANAE
ERLANGENSIS
ILLVSTRANTIA
ET
PROBANTIA
TAM PVBLICA QVAM PRIVATA

QVORVM SERIEM VERSA INDICAT PAGINA.



Digitized by Google

I. Oratio ſolemnis Perilluſtr. Cancellarii, Dom. de Superuille, cui ſubiunctus eſt Extractus priuilegiorum imperialium p. 16.
II. Extractus priuilegiorum Sereniſſimi Conditoris Academiae 21.
III. Oratio Prorectoris, qua Auguſto Conditori Academiae gratias egit 39
IV. Formula Renuntiationis ſolemnis in Facultate theologica IIII. Nou. factae 42
V. Formula Renuntiationis in Facultate iuridica 45
VI. Formula Renuntiationis in Facultate philoſophica 47
VII. Oratio ſacra S. R. Ellrodii, qua Academia Deo dedicata 49
VIII. Oratio S. R. Pfeifferi de Limitibus rationis in interpretanda Scriptura S. ante Renuntiationem Doctorum Theologiae V. Nou. recitata 65.
VIIII. Oratio Conſultiſſ. Roſſmanni de Dignitate Cancellarii in Academiis Proteſtantium, Renuntiationi Doctorum Iuris praemiſſa V. Nou. 73.
X. Oratio Experientiſſ. Schmidelii, de Lemmatum in Medicina cauta applicatione, qua Renuntiationem Doctorum Medicinae auſpicatus eſt V. Nou. 87.
XI. Oratio Ampliſſ. Poezingeri, de Controuerſiis, finem numquam habituris, ante Renuntiationem Magiſtr. Philoſ. habita V. Nou. 99.
XII. Programma, quo inſtans coronatio Poëtae indicatur 110.
XIII. Oratio Conſultiſſ. Braunii, qua aedes publicas inauguratus eſt 112.
XIIII. Programma, quo Fridericiana diem ſacrorum auſpicalium denuntiauit, interprete S. R. Ellrodio 119.
XV. Literae inuitatoriae Ienam, Altorfium, Lipſiam, Halam, Ingolſtadium, Tubingam, Wurceburgum, et Goettingam miſſae 122.
Sequuntur gratulatoriae ab iis nobis redditae 126.
XVI. Literae fiduciales a Legatis traditae 145.
XVII. Literae Legatis diſcedentibus a Fridericiana redditae 149.
XVIII. Monumenta honoris et beneuolentiae, nouae Fridericianae exhibita 153.
Sequitur tandem Oratio ſacra, qua S. R. Huthius templum academicum rurſus aperuit.

Digitized by Google

57

ORATIO
ORDINANDAE
FRIDERICIANAE
CAVSA
INTER IPSA
DEDICATIONIS
SOLEMNIA RECITATA

IIII. NOV. cIↄIↄCCXXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google



Gravé par Fritsch Graveur de la Cour de S. A. I. Mons: le Grand Duc de toutes Ruſsies, Duc regnant de S. Holſt: 1744.

DANIEL DE SVPERVILLE



erenisſimi Marggrav. Brandenb: Culmbacenſis
nſiliarius ſtatus intimus, Fridericianae Director primus
ancellarius, Metallifodinarum rerumque metallurgicarum, et
dicinalium, in toto Marggraviatu Supremus Praefectus. Academ. Nat
ioſor. ac Societati Reg. Berolin. Adſcriptus. Aetat. anno XXXXVII.

Digitized by Google



LAETO utrum et excitato, an ſolicito potius et ancipiti animo, ſolemnem huncce diem celebrare, me deceat, ſane dubito. Ea enim, quam de me concepiſti, ſpes, ſed non ſola ſpes, ea in primis fiducia, quam in dexteritate et fide mea poſuiſti olim, quamque adhuc habes, SERENISSIME MARGGRAVI, PATER PATRIAE AVGVSTE, PRINCEPS ac DOMINE LONGE CLEMENTISSIME, ea, inquam, fiducia, qua mihi, ut hanc Academiam ordinarem, clementiſſime demandaſti, perturbatum me fere reddit atque confuſum. Quam ardua res ſit, quamque difficilis Academiae conſtitutio, id plane non ignoro, neque minus neſcio, quam integra, quam matura, quam expedita ſint conſilia complurium amicorum, et ſummi ſenatus SERENISSIMI NOSTRI PRINCIPIS, adeo, ut illis comparatum, infirmum atque imparem tanto negotio ipſe me ſaepius iudicauerim. Attamen hanc laetitia ſuperat ſolicitudinem, voluptate animus meus demulcetur exquiſitiſſima, cum perpendo, ipſum PRINCIPEM SERENISSIMVM atque CLEMENTISSIMVM, dignum me aeſtimaſſe, qui debitam obſervantiam, venerationem iuſtam, conſtantem aeternamque pietatem et fidem nouo hoc documento ſibi prae aliis de-

Digitized by Google

clararem. Quapropter gaudio impenſe indulgere, meamque felicitatem talem, cui nihil fere decedat, aeſtimare me poſſe, puto, ſi AVGVSTI PRINCIPIS voluntatem, quantum fieri poteſt, factis propriis feliciter expreſſero. Ingenio condonabis arctis circumſcripto limitibus, DOMINE CLEMENTISSIME, remittesque animaduerſionem, ubi hoc in opere fortaſſis quaedam minus perfecta ad votum inveneris; tanti tamque magni PRINCIPIS conſilia excelſa, cunctisque partibus conſummata, mens mea non capit. Abſit igitur, ut mihi quidquam attribuam, quod SERENISSIMO FRIDERICO univerſa Patria ſoli ſe debere, laeta ovansque fatetur. TE, PATRIAE PATER AVGVSTE, tam egregii, tam magnifici operis auctorem praedicat, TE TVA FRIDERICIANA, TE ſolum, ſui effectorem celebrat, et perpetuo celebrabit. Quod ad me attinet, ſi uilia quidem ſummis componere fas eſt, cauſam me, licet minus efficacem, appellare vix audeo, debile quaſi et infirmum inſtrumentum praeſtiti, quod opifex dignum iudicavit, quo in perficiendo opere uteretur. Itaque TIBI, PRINCEPS MAGNANIME, uniuerſa huius rei gloria, ſummo meritoque iure, ſoli debetur; a me autem bonus Deus tam puſilli animi faſtum avertat, quo quidquam, quam parum ſit, laudis ex omnibus, quae adhuc egi, decerpere, et captare velim. Semper deteſtatus ſum callidam et ſuperbam vanitatem illius architecti, qui turrim lucentem in Pharo inſula olim exſtruxit; hic enim, poſtquam ſtupendum opus perfecerat, nomen ſuum in lapidem quadratum duriſſimum ſedulo incidit ad molis prope pedem, eoque ipſo calce et caementis obducto, ſuperficiem regis nomine magnifice exornavit, quae, tempeſtatis inclementia ſaepius vexata, marisque fluctibus continuis pulſata, brevi tempore regis honorem, excuſſo caemento, amiſit, contra ea titulus architecti ſolus perennis emerſit. Felicem me, terque beatum praedicabo, modo unica mihi relinquatur gloria, nimirum gloria obſequii, TIBI, SERENISSIME MARGGRAVI,

VI, TIBI ſoli devoti, et ut reliqua cuncta, quibus conſti-tuor, plene perfecteque conſecrati. Quin Deum hodie teſtor, et ad eius ſcientiam infinitam provoco, nullum plane finem, omni cura, omni opera, difficillimo labore, et anxia ſaepius ſolicitudine obtinendum, nullum, inquam, alium finem mihi propoſitum fuiſſe, cur ea cuncta, forti animo obeunda, cuncta ſuperanda, putaverim, niſi ut SERENISSIMO MARGGRAVIO, quem integerrima pie-tate colo, atque veneror, fidei meae documenta in dies maiora darem. Tanti PRINCIPIS clementiam, liberali-tatem, ſapientiam, curamque ſalutis civium vere pater-nam, aeternis, et in futura ſaecula duraturis monumentis, omni univerſo terrarum orbi exponere, quotus quisque eſt, cui non pulchrum, honeſtum, iucundum videatur? Iam vero, excelſum SERENISSIMI FRIDERICI nomen ſaeculorum faſtis inſertum eſſe, cenſeo, et inſculptum ma-teriae aere et ſaxo ſolidiori, adeo, ut neque iniuria tempo-ris, neque ruina oppidorum, neque ulla fortunae maligni-tas illud delere aut minimum ei detrahere audeat. En, obſecro, AVGVSTE PATRIAE PATER, hanc congregationem doctorum virorum, quos TVO iuſſu conquiſitos, TVA libe-ralitate allectos, opella mea huc adduxit. Hi profecto TVAE virtutis, hi TVAE gloriae praecones ſunt certiſſimi. Neque hi ſolum praeſenti, ſed omnes etiam eorum ſucceſſo-res, futuris ſaeculis, ſeriſſimaeque hominum poſteritati, laudes gloriamque TVAM, SERENISSIME MARG-GRAVI, ſummo opere explicabunt. Verum enim vero res Fridericianae TVAE, FRIDERICE SERE-NISSIME, ita ſane comparatae ſunt, ut ea magna-nimitate TVA confirmari, clementia TVA ſuſtentari, non minus impoſterum neceſſe habeat. Namque bonae huic Academiae inimici non ſolum clandeſtini perniciem e longinquo dudum machinantur, ſed manifeſti quo-que et experti hoſtes bellum iam diu indixerunt, nec quidquam minus, quam ſalutem eius aequo animo tu-

Digitized by Google

lerunt antea et adhuc ferunt, quod utrum naturae ſuae pravitate, an partium ſtudio faciant, id ſane neſcio. Tela igitur undecunque in nos coniicere, et ſi fieri poſſet, obruere nos conabuntur. Attamen ſecuri eſtote. En propugnatorem veſtrum! Ecce Numen Sereniſſimum, cuius ſub imperio nemo unquam, niſi tutela indignus, impune laceſſitus eſt. Vos officio veſtro erga SERENISSIMUM PRINCIPEM ſatisfacturos, vos reverentiam debitam, vos fidem, vos obſequium perfecte obſervaturos fore, id ego caveo atque pro vobis ſpondeo. Mentem ſine dubio meam perſpectam habetis, Viri aeſtumatiſſimi, nihil igitur eorum, quae dixi, irritum atque infectum fieri vultis. Quin laeti omnium hilaresque vultus, quibus verba mea excepiſſe vos, gaudeo, ſatis et affatim produnt animi veſtri firmam deſtinationem, fiduciae meae plane congruentem. En tandem aliquando exortam hanc lucem auſpicatiſſimam, ex qua nominum veſtrorum glorioſa perennitas initium capit! Ecce diem, quem multi videre exoptarunt ardentiore deſiderio; diem, qui defenſores atque fautores almae huius Academiae ſpe et fiducia confirmat. Neque tamen oblitus ſum adhuc, eundem huncce diem ſaepius antea pro ſomnio habitum ab inimicis et oſoribus nobis inviſis. Quid? quod complures laetum hunc ſolem nunquam naſciturum, brevi abhinc audacter ſatis, ſed magis impudenter praedicarunt. Adeſt tamen et praeſens eſt Fridericianae Erlangenſis ab AVGVSTO FRIDERICO MARGGRAVIO Brandenburgi, Boruſſiae, Sileſiaeque Duce, Burggravio Norimbergae, reliqua: liberalitate ſumma dotatae et exornatae, eluxit, inquam, laetis auſpiciis, natalis Fridericianae electiſſimae, ab AVGVSTISSIMO ROMANORVM IMPERATORE CAROLO VII. ſplendidiſſimis per univerſum, quantum protenditur, ſacrum Imperium Romano-Germanicum auctoritatem obtinentibus, Privilegiis corroboratae, quae, ut ad omnium notitiam veniant, publice, legitime, et ſolenniter recitari,

PRIN-

Digitized by Google

PRINCEPS ac DOMINVS MEVS CLEMENTISSIMVS in praeſenti vult, iubet, imperat.

In fine huius Orationis non ſolum Privilegia CAESAREA publice praelecta, verum etiam ea quae Sereniſſimus Patriae Pater Academiae conceſſit, vtraque tamen, brevitatis ſtudio in compendium redacta, invenies.

Conſtituta iamiam perfecta et omnibus partibus abſoluta Academia, reliquum eſt, ut, qui hanc ob rem ab ipſo SERENISSIMO MARGGRAVIO auctoritate neceſſaria inſtructus ſum, ut Vos, Viri Maxime Venerabiles, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi,

Te ſcilicet GERMANNE AVGVSTE ELLROD,
Te IOACHIME EHRENFRIED PFEIFFER,
Te CASPARE IACOBE HVTH,
in Facultate Theologica.

Te porro IOANNES GVILELME GADEN-DAM,
Te ANDREA ELIA ROSSMANN,
Te IOHANNES GOTTLIEB GONNE,
Te CAROLE ADOLPHE BRAVN,
Te IOHANNES IVSTINE SCHIERSCHMID,
in Facultate Iuridica.

Neque minus Te IOHANNES FRIDERICE WEISSMANN,
Te CASIMIRE CHRISTOPHORE SCHMIDEL,
Te MATTHIA GEORGI PFANN,
Te CHRISTIANE SAMVEL GEBAVER,
Te IOHANNES ADAME HOFFMANN,
in Facultate Medica.

Te iterum GERMANNE AVGVSTE ELLROD,
Te IOHANNES GVILELME GADEN-DAM,
Te IACOBE GVILELME HOFFMANN,
Te GEORGE GVILELME POEZINGER,
Te IOHANNES SIEGMVNDE KRIPNER,
Te ANDREA ELIA ROSSMANN,
in Facultate Philoſophica.

Digitized by Google

Vt, inquam, Vos ita omnes et ſingulos Doctores, et Profeſſores Fridericianae Publicos Ordinarios, legitime et ſolenniter declarem atque renunciem. Itaque facultas, atque ius ab AVGVSTO FRIDERICO, Domino noſtro longe clementiſſimo vobis conceſſum eſto, Academiam hanc Fridericianam ornandi, augendi et eius dignitatem amplificandi, docendo, diſputando, ſcribendo, reſpondendo, proptereaque SERENISSIMVS MARGGRAVIVS Privilegia et Praerogativas ab INVICTISSIMO IMPERATORE, per univerſum imperium, tributas ac permiſſas, iure dominii eminentis in principatu terrisque ipſi ſubiectis, ſpeciatim vobis reddit atque confirmat, neque dicam de caeteris commodis inſignibus, quibus ſumma SERENISSIMI PRINCIPIS gratia Vos ornare et augere, uti bene noviſtis et documenta publica demonſtrant, conſtituit. Officia Vobis, Viri aeſtumatiſſimi, cum publico docendi munere iniuncta ſunt, ſed ea latius explicare in praeſenti non inſtituo. Nemo enim Veſtrum eſt, qui ſua ignoret, nemo eſt, de quo dubitem, ne iis ſatisfacere ſumma ope annitatur. Interea, ut quisque Veſtrum ad id eo magis excitatus procedat, haud inutile fore cenſeo, ſi in animum vobis induxero, primo univerſam Patriam, et Regiones, praeter hanc, quae circumiacent, immo univerſam adeo Germaniam acuta oculorum acie, menteque alacri, Vos ſedulo obſervare. Quot conſtricta fronte Ariſtarchi, quot Zoili livido ſupercilio iamiam emineant naſcenti huic Academiae, ipſi perpendite. O quantus eſt, quem praevidere mihi videor, inimicorum numerus! Quanta obtrectatorum turba, qui iacturae veſtrae continuo ſtudio invigilant! Proponite, et repraeſentate animis veſtris inſignem hanc, et Auditorum, et Spectatorum multitudinem, quaſi compendiariam univerſae, aut maximae ſaltem, partis Germaniae effigiem. Diſcernite hominum vultus. Inquirite in varias, contrariasque animi affectiones ſuper facie expreſſas. En alios benevolentiae, favoris, gratiaeque indicia, ſerenis oculis,

nutuque

Digitized by Google

nutuque honeſto oſtendentes, eos, uti Amicos, Patronos, et Defenſores, officiis proſequimini, qui vobis, ſi quid forte ſummae perfectioni minus convenienter patratum fuerit, (quemadmodum hominibus ſaepius accidit) facile et libenter indulgeant. Sed ecce alios, conſtricta fronte, rigidisque oculis cenſorum ſeveritatem undique ſpirantibus, hi invadere vos, hi exagitare, hi lacerare iamiam conſtituerunt. Cauſam quaeritis? Quin litteram, quin lineolam aut punctum facile inventuri ſunt, cuius gratia claſſicum canatur. Heu me miſerum! qui quavis voce ſoloecismum pronunciare, illis videor. Itaque vobis cavete, ita accingite vos, ut eiusmodi latratus haud impune excipiantur. Ecce tandem figuras, humana ſpecie, aridas, frigidas, et livore exſangues. Ecce facies lineamentis ſibi nuſquam congruentibus. Ecce oculos varios, lima et doloſa acie tela torquentes. Quid? quod ſerpentibus circum undique cincti, dira ſpargere venena, vel ſolo nutu, mihi videantur, quam vellent, ſplendorem ſuperbae et magnificae huius cerimoniae, peſſimi illi, infuſcare; ſane quam gloriae veſtrae invident, gratiaeque monumenta, ab AVGVSTO PRINCIPE vobis, pro inſigni ipſius liberalitate, hodie conceſſa, turbare vehementer exoptant. Horum clamores iniqui continue meis quaſi auribus obſtrepunt: PEREAT FRIDERICIANA ERLANGENSIS, ACADEMIAE SIT MALEDICTVM. Verum enim vero, quam irrita moliuntur, quam vana machinantur eiusmodi hominum monſtra, pudenda naturae. Aedium noſtrarum fundamentum arena non innititur, neque inimicorum virulento halitu conquaſſatur. Veſtrum eſt, Viri Doctiſſimi, veſtrum opus eſt, Academiam, et vosmetipſos, contra eiusmodi impetus, fortiter defendere. Veſtra in explendis officiis, quae ſingulis incumbunt, ſolertia, ſed exacta et probata, Perſei clypeo ſimile, immo magis validum adeo propugnaculum, futura eſt; hac adverſariorum linguis non ſolum nervos incidere, ſed eorum quoque conatus frangere, eosque ipſos perpetuo confuſos reddere poteſtis.

Digitized by Google

Deinde, illa ſaeculi felicitas, qua nobis contigit PRINCEPS ac DOMINVS eiusmodi, cuius adeo naturam mera gratia efficit, mera clementia conſtituit, illa, inquam, ſaeculi felicitas ſeria conſideratione aeſtimanda eſt. Scitote enim, vos, ſi modo alacri ſtudio ingreſſi curriculum, illud ſtrenua fide continuaturi eſtis, tum demum mereri gratiam talis, tantique Principis, quem omnes omnino dignum iudicant, univerſi orbis veneratione, et cum omnes ac ſinguli eius lenitatem, gratiam, liberalitatem egregiam, hodie tanto opere experiamini, quidam autem veſtrum, iam annis aliquot, aucti iis omnibus, et exornati fuerint, ingratum, propterea que damnandum, is profecto animum proderet, qui ſummam operam, omnesque curas, eo non ntenderet, ut tam adorandi PRINCIPIS expectationi, iquantum fieri poteſt, maxime ſatisfieret.

Poſtremo tandem, quod pauciſſimis proponere conſtitui, vobis, Viri Spectatiſſimi et Ampliſſimi, ſolis ſpeciatim dictum eſto. Nonne cum celebritate et ſplendore Almae huius Academiae veſtra gloria ita arcte coniuncta et connexa eſt, ut altera ſine altero eſſe, et obtineri plane nequeat? Operam igitur date, in id incumbite ſedulo, ut ſplendida haec et magnifica Fridericianae conſtructio, cui vos columina quaſi, et ſuſtentacula praebetis, inimico fato non ſolum moram iniicere, ſed ut eludere etiam queat. Repraeſentate animis veſtris, vel fingite ſaltem illum triumphum, quem adverſarii canturi forent, ubi veſtra incuria, aut negligentia, tantum opus conturbatum rueret. Ipſe quidem ego tum certe accuſarer, ac ſi, CLEMENTISSIMI NOSTRI PRINCIPIS fiducia abuſus, doctorum virorum male feciſſem electum. Attamen vobismet maximum dedecus ipſis tum naſceretur, Vos ſummo univerſi orbis ludibrio revera exponeremini. Sed quid metuo, ubi nihil metuendum, ubi metuiſſe nefas eſt? Namque vos novi omnes ac ſingulos, et ita quidem novi, ut de veſtra fide atque dexteritate optima quaeque mihi certe promittam. Hac fiducia fretus, hac ſcientia confiſus, Profeſſores omnes atque ſingulos ad

ſacrum

Digitized by Google

ſacrum PRINCIPIS ſolium provoco, ut promiſſam debitamque fidem, iureiurando ſolemni legitime iam confirmetis. Accedite igitur Profeſſores omnium facultatum quotquot adeſtis.

Formula iurisiurandi hoc loco praelecta, eoque iureiurando Profeſſores ſinguli obſtricti ſunt.

Reliquum eſt, ut illum nunc quoque deſignem, cui iuris dicundi facultas hoc anno data, et academici iudicii cura demandata eſt. Equidem SERENISSIMVS MARGGRAVIVS tanta gratia fovet, tamque inſigni favore complectitur Fridericianam ſuam, ut illam, niſi ab IPSO gubernatam, ſatis tutam, ſatis felicem non putet, proptereaque RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI titulum gerere, quam praeclarum optimi PRINCIPIS exemplum! ſecum conſtituerit. O beatum populum! o cives fortunatos, quos tam leni, tam benigno, tam ſuavi imperio aeterna providentia ſubiecit! Agnoſce felicitatem tuam, nova Academia, et agnitam, uti decet, aeſtima. Sed agnoſcis, ſed aeſtimas, et tanto, tamque magnanimo PRINCIPI proſperrimum imperium, ad ſerum uſque ſaeculi finem, voves, exoptas, flagitas. Ne vero Fridericiana dignitate reliquis Academiis inferior appareat, eodemque, quo aliae ſolent, honore ornetur, Pro-Rectorem SERENISSIMVS MARGGRAVIVS hoc anno inſtituit Virum Conſultiſſimum, ANDREAM ELIAM ROSSMANN, Iuris utriusque Doctorem, eique omnia ornamenta, omnem ſplendorem, Academiae Pro-Rectoribus alias tradi ſolitum, tribuit, et clementiſſime concedit. Accede igitur, Vir Magnifice, et accipe aedium academicarum claves, quibus ius datum in aedes ipſas, earumque poſſeſſio ordini Profeſſorum confirmata, ſignificatur. Vnam reperies, qua, ut raro opus habeas, vehementer opto; ſed ſi opus eſt, ita uteris ea, ut innocentes tuearis, noxios poena corrigas.

En tibi ſtatuta Academiae, a SERENISSIMO PRINCIPE iamiam auctoritate ſumma perfecta et corroborata.

En Actorum tabulas cum Albo, cui civium nomina inferuntur. Haec vero, ad ſuſtentandam Fridericianae dignita-

tem, ſtatuendumque ordinem et neceſſaria ſunt, et omnium, quae iis convenienter egeris, aequitatem atque iuſtitiam luculente demonſtrabunt.

Porro Tibi trado Fridericianae ſigilla et minus et maius, utrumque ſingulare et proprium Profeſſorum ordini univerſo. Adhibe illa, ubi Academiae gloria augenda, comparanda. Vti enim collegium Profeſſorum a reliquis omnibus per ſigilla diſcriminatur: ita, quidquid ſignatum fuerit, tibi et Collegis tuis ſolis imputatur.

Iam quoque ſolemni, et ſummae auctoritatis indice veſte cingendus, pileoque Pro-Rectoris Magnifici exornandus es.

En quantum SERENISSIMVS MARGGRAVIVS Tibi dignitatis tribuat! Haec tibi intuenti ornamenta, modeſtia ad ſummum aucta modum non excitari non poteſt, quae, quo ſplendide magis elucet, eo maiorem conciliare favorem hominum ſolet in faſtigio ſublimiori collocatis.

Sic tandem rite initiato Tibi, Pro-Rectori Fridericianae Magnifico, cuſtodienda trado Academiae Privilegia, a SERENISSIMO MARGGRAVIO Academiae primum Byruthi conceſſa, poſtea, hac in urbe aucta tandem et perfecta in modum ampliſſimum et plane admirandum.

Neque minus Tibi trado ea, quibus AVGVSTISSIMVS ROMANORVM IMPERATOR CAROLVS VII. Fridericianam clementiſſime ornavit, Privilegia, memento qualem quantumque Tibi theſaurum crediderim, oculis vitaque cariorem a vobis omnibus aeſtimandum.

En denique ſceptrum utrumque ab AVGVSTO PRINCIPE Tibi permiſſum. Non dignitatis haec ſolum, ſed iurisdictionis etiam et poteſtatis ſigna ſunt, quae, cum cito labefactata corruat, niſi confirmetur et ſuſtentetur iuſtitia: TE, et in infligenda poena, et in praemio tribuendo, modum ita obſervaturum fore, confido, ut Fridericiana ſub gubernatione tua floreat, et SERENISSIMVM PRINCIPEM, ſceptra tibi dediſſe, nunquam poeniteat. Sic praepara-


SIGILLUM FACULTATIS MEDICAE
GILLUM FACULTATIS PHILOSOPHICAE
SIGILLUM

Digitized by Google

paratus animo, et ſolemni caerimonia conſecratus, nunc iusiurandum praeſta, quod SERENISSIMVS MARGGRAVIVS a te expectat.

Praeeunte iterum verba illo, qui Sereniſſimo PRINCIPI a Secretis intimioribus eſt, iusiurandum a novo hoc Pro-Rectore datum. Sermo autem huius in ſolemni hac Panegyri habitus, poſt hanc orationem legi poteſt.

I nunc fauſto omine atque locum tuum in ſenatu Academico, nempe primum, et iure quidem, occupa.

Ad Te porro, Vir Conſultiſſime, Iohannes Gvilelme Gadendam, oratio mea convertitur, nempe Invictiſſimus Imperator tam eximia gratia Fridericianam Academiam, et eius praecipue facultatem Iuridicam clementiſſime proſecutus eſt, ut ei, quem SERENISSIMVS MARGGRAVIVS Academiae Pro-Cancellarium conſtituerit, Comitis ſacri Palatii Imperialis dignitatem et auctoritatem ſimul attribuerit.

Te vero, Iohannem Gvilelmvm Gadendam, SERENISSIMVS FRIDERICVS, Academiae huius Fundator ac Nutritor Clementiſſimus, Pro-Cancellarium eſſe Fridericianae, vult et iubet. Nunc hoc clementiae documento fortiori, quod quidem vix fieri poteſt, vinculo devinciris SERENISSIMO PRINCIPI. Caeterum amicam tuam auctoritatem, ubicunque opus fuerit, ad luculentum Fridericianae emolumentum ſemper adhibebis. Locus autem tibi in ſenatu Academico ſecundus aſſignatur. Vos denique appello, quibus Decanorum auctoritas traditur,

Teque primum ſumme Reverende

Ioachime Ehrenfried Pfeiffer evoco, ut ordinis Theologici ſigillum accipias.

Tibi vero, Andrea Elia Rossmann, ſigillum ordinis Iuridici,

Tibi, Casimire Christophore Schmidel, ſigillum ordinis Medici, et

Tibi, George Gvileme Poezinger, ſigillum ordinis Philoſophici trado.

Supervacaneum eſſet, ad muneris veſtri dignitatem augendam Vos excitare, ideoque hoc ſaltem optare mihi licebit, ut unicuique veſtrum, ſingulisque ordinibus, proſpera quaevis, et ſalutaria eveniant.

Quodſi in nova hac Fridericiana primam iam poteſtatem exercere, et Profeſſoribus, Collegis veſtris, Doctorum aut Magiſtrorum honores, qui eis adhuc deſtituuntur, tribuere forte in praeſenti velitis; tum ego quidem deſiderio atque propoſito veſtro, ſi illud rite declaraveritis, venia data, ſatis facturus ſum.

Oratiunculum poſt haec verba nomine Decanorum habuit Decanus Ord. Theol. quam vid. in fine huius orationis. Venia autem ad petitum data eſt, ſequentem in modum.

Gratulor de Candidatis meritiſſimis, et tribuo vobis atque concedo plenum ius perfectamque poteſtatem in omnibus Facultatibus creandi, renunciandi, et promovendi in Doctores, quicunque ex Collegis veſtris hac dignitate nondum ornati ſunt.

Creati poſt haec verba ſunt et renunciati publice in Doctores et Magiſtros nonnulli Profeſſores a Decanis Ordinum, Theologici, Iuridici, Philoſophici. Quo facto verbis, quae ſequuntur, finis dicendi factus eſt.

Compoſitis ita, et ordinatis omnibus, quae ad felicem Academiae Fridericianae novae conſtitutionem neceſſaria videbantur, unum tantummodo adhuc ſupereſt, quod Vos, Viri, quisque pro dignitatis et muneris gradu, quem obtinet, honoratiſſimi, quod Vos, inquam, Vosque ſolos oro, obſecro, atque obteſtor. Monere poteram, ſed rogare placet, ut integram et ſinceram amicitiam colatis omnes et ſinguli, ut firmae ſtabilique concordiae conſtanter operam detis.

En ego vos obſecro, ego, omnium quotquot ſe vobis amicos iactant, integerrimus profecto, et amiciſſimus, cuius adeo intimi ſenſus et vota plane reſpondent veſtrae felicitatis deſiderio. Quin tanta caritate vos diligo, vos complector atque proſequor, ut maiorem ſane voluptatis meae partem eo perfici putem, ſi nullam mihi unquam praebueritis occaſionem, talem me oſtendendi, cui publica in vos auctoritas

ritas

Digitized by Google

ritas competat. Fieri poteſt, ut extremum, paulo poſt hac, ducam ſpiritum, et fortaſſis ſpatii mei curſus paene abſolutus eſt. Ecce aequo et tranquillo animo fatum patiar, quod ex ſummi Numinis providentia mihi impendet, neque aliam plane ob cauſam, mortem mihi acerbam, cenſeo, futuram, quam quod a Vobis citius divellerer. Namque ſubit animum meum cogitatio, Vos inpoſterum fortaſſe aliquando deſideraturos fore, amicum aeque integrum, aeque conſtantem, ac me adhuc experti eſtis, qui conſilium, operam, auxilium Vobis fortiter praeſtaret in ſuperandis rebus arduis et periculoſis, quae ſine dubio ſupervenient opinione Veſtra citius, et e quibus vos difficulter explicabitis, niſi communi conſilio, amice iunctis viribus.

Diligat igitur quisque alterum, ſinguli ſingulos aequo animo patienter ferant, neque ulla opinionum diverſitas animi alienationem aut diſiunctionem pariat. Si quando e medio hominum ablatus fuero, mei interdum, quaeſo, recordamini, utpote qui omnem commoditatem, qui tranquillitatem, qui corporis ſanitatem, et ipſas adeo vitae meae reliquias Vobis commodoque Veſtro plane devoveram. Ante omnia memores eſtote precum mearum, quas, ſumma animi contentione, iterum iterumque repeto, ut firma, conſtantique concordia coniuncti bono veſtro optime proſpiciatis. Nihil praeter ſalutem veſtram amplius deſidero, quin ultima tandem aliquando vota, pro incolumitate, pro felicitate veſtra a me feruntor.

TV vero, in ſpem Patriae, in Germaniae ſalutem, effloreſcens, generoſa, et nobiliſſima iuventus, novae Fridericianae ornamentum novum, quid me dicturum tibi fore opinaris? Complures quidem veſtrum de benevolentia et favore meo erga omnes, qui litterarum et virtutis ſtudia profitentur, certiores olim facti ſunt, reliquis gratam amicitiae fidem iam polliceor, quoad Fridericianae civitate dinos ſe cives monſtraverint. Interea expertum vobis et perſuaſum ſit, me, qui gloriae felicitatique Academiae adhuc

omni opera ſedulo ſtudui, veſtram quoque proſperitatem generatim, pro viribus, curae cordique habuiſſe.

Contra ea id mihi quoque perſuadeo, vos honeſtati, paci, tranquillitati, debitoque erga Pro-Rectorem et Profeſſores obſequio, operam daturos, eoque elegantiſſimae huius urbis honorem, morum nitore amplius aucturos fore. Nihil niſi hoc unum vobis proponere conſtitui, morem igitur geretis exhortationi meae, non propterea ſolum, quod generoſae indolis iuvenes id ſolent, ſed praecipue, quod integro, vero, paterno animi affectu excitamini.

SERENISSIME MARGGRAVI, PATER PATRIAE AVGVSTE, DOMINE CLEMENTISSIME,

Vtinam voluntati meae vires iam reſponderent, tum TIBI ego ſane pro omnibus ac ſingulis, quotquot in orbe litterarum ſtudiis nomen dederunt, debitas acturus eſſem gratias! Aſt cum huic operi imparem ipſe me iudicem, gratia TVA, SERENISSIME PRINCEPS, imbecillitati condonabit, et intima atque pia animi mei vota declarare permittet. Itaque vivas, SERENISSIME FRIDERICE, vivas diu proſpere, feliciter! MAIORVM TVORVM REGVM, PRINCIPVM gloriam, uti animi magnitudine omnes plane exaequas, ita bona fortuna longe ſuperes. Adeo ut FRIDERICI NOSTRI CLEMENTISSIMI nomen, inter omnes gentes, omnibus ſaeculis, et ab omni hominum genere, atque aetate perpetuo celebretur!

TV vero AVGVSTA REGVM PROGENIES, SERENISSIMA MARGGRAVIA, cuius intelligentiam, acumen, eruditionem, atque clementiam non Germaniae ſolum cives reverenter ſuſpiciunt, ſed exteri etiam populi admirantur, TE ſubmiſſis precibus imploro, ut Fridericianam novam commendatam TIBI habeas, et uti omnes, qui eruditionis ſtudia profitentur et colunt, clementius ſuſtinere ſoles, ita hanc Academiam ſpeciali gratia tueare! Hanc, inquam, Academiam, quae integra, ſanctaque fide TIBI, SERENISSIMA

MAR-

Digitized by Google

MARGGRAVIA, plane devota eſt, quae pro vita, pro incolumitate, pro felicitate TVA, continuis votis occupatur, nec quidquam magis dolet, niſi id, quod et officiis ſuis et TVIS meritis nunquam facto poſſit reſpondere. Quod cum fieri plane nequeat, me etiam tacere, quam nimium fruſtra conari praeſtabit.

Servet Summum Numen, et protegat hoc PAR AVGVSTVM, cui par alterum terrarum orbis vix continet.

Servet SERENISSIMAM iuventutis PRINCIPEM, AVGVSTORVM Parentum voluptatem, PATRIAE DELICIAS, ornamentum Germaniae venuſtiſſimum, Summorum PRINCIPVM expectationem! Servet ILLAM et ſumma tandem felicitate cumulet!

Deus Optimus Maximus, quem ardentiſſimis ſuſpiriis hac de cauſa imploro, coepta noſtra, opera, facta et negotia futura, felici ſucceſſu in aeternam nominis ſui gloriam, noſtramque, et univerſae PATRIAE, large, certeque ſecundet.

Digitized by Google

No. I.

EXTRACTVS PRIVILEGIORVM IMPERIALIVM.

NOS CAROLVS SEPTIMVS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ELECTVS ROMANORVM IMPERATOR, SEMPER AVGVSTVS, AC GERMANIAE ET BOHEMIAE REX, VTRIVSQVE BAVARIAE, ET SVPERIORIS PALATINATVS DVX, COMES PALATINVS RHENI, ARCHI-DVX AVSTRIAE, LANDGRAVIVS LEVCHTENBERGAE etc. .. etc.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM notum teſtatumque facimus tenore praeſentium univerſis etc. etc.

CVM itaque NOBIS Illuſtris FRIDERICVS MARGGRAVIVS BRANDENBVRGENSIS, PRVSSIAE, MAGDEBVRGI, STETTINAE, POMERANIAE, CASSVBIORVM, VANDALORVM ET MEGALOPOLIS DVX, BVRGGRAVIVS NORIMBERGENSIS, HALBERSTADII, MINDAE, CAMINAE, VANDALIAE, SVERINAE ET RAZEBVRGI PRINCEPS, COMES IN HOHENZOLLERN ET SVERINAE, Princeps et conſanguineus noſter chariſſimus, literis ſuis de dato Baruthi trigeſima Januarii nuperi, decenter expoſuerit, ſe ab eo, quo principatui ſuo praeeſt, tempore, id ſibi, ex paterno in ſubditos et incolas amore, praecipuae curae ſumſiſſe, ut horum filii in patria, minori cum diſpendio et quaſi ſub parentum oculis, in omni literarum genere erudiantur; additis

additis precibus, ut ad tam utilem laudabilemque ſcopum plenius conſequendum, eidem Caeſaream noſtram facultatem erigendi, in quadam principatus ſui civitate, ſtudium univerſale ſeu Vniverſitatem, cum iisdem priuilegiis, quibus ex imperiali conceſſione de anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio, Vniverſitas *Halenſis* in *Saxonia* potitur et gaudet, clementer impertiri dignaremur; Nos dictum principem, pro inſigni eius erga nos obſervantia, fidoque in res noſtras ſtudio, propenſo caeſareae noſtrae benevolentiae affectu aliunde proſequentes, iuſtis et aequis eius precibus clementer annuendum duximus, prout vigore huius noſtri caeſarei diplomatis in eum, qui ſequitur, modum annuimus.

AC proinde ex certa noſtra ſcientia, animo bene deliberato, et maturo accedente conſilio, deque caeſareae noſtrae poteſtatis et authoritatis plenitudine, praefato illuſtri FRIDERICO, MARGGRAVIO BRANDENBVRGENSI, PRVSSIAE, MAGDEBVRGI, STETTINAE, POMERIANAE, CASSVBIORVM, VANDALORVM ET MEGALOPOLIS DVCI, BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI, HALBERSTADII, MINDAE, CAMINAE, VANDALIAE, SVERINAE ET RAZEBVRGI PRINCIPI, COMITI IN HOHENZOLLERN ET SVERINAE, Principi et conſanguineo noſtro chariſſimo, facultatem et poteſtatem, erigendi *Baruthi* aut *in alia commoda ſui principatus ciuitate*, Vniverſitatem ſive ſublimiorem Academiam et ſtudium univerſale, omnium artium liberalium ac ſcientiarum, in quavis Academia aut Vniverſitate, per univerſas noſtras et Sacri Imperii ditiones, publice doceri ſolitarum, clementer conceſſimus et elargiti ſumus, prout hiſce concedimus et elargimur, &c. &c.

VOlentes, et eadem authoritate noſtra caeſarea decernentes, quod Profeſſores, per ſaepe memorati illuſtris Marggravii Brandenburgenſis dilectionem, eiusdemque ad hoc delegatos, nominandi, poſſint et valeant in praedicta Vniverſitate Fridericiana profiteri, docere et lectiones publicas facere, concluſiones palam diſcutiendas proponere, interpretari, gloſſare et dilucidare, omnesque actus academicos exercere, eo modo, ritu et ordine, qui in caeteris Vniverſitatibus obſervari ſolet.

POrro cum ipſa literarum ſtudia, per obtinenda in ſingulis diſciplinis, a ſtrenuis earum cultoribus, praemia non parum promoveantur; volumus et iubemus, ut ordinandae in hac Vniverſitate Fridericiana conſuetae Doctorum Profeſſorumque facultates eos, qui, comparatae ſibi eminentioris doctrinae confidentia ducti, ad uſitatos gradus academicos adſpirant, rigoroſis examinibus ſubiiciant, et ad edenda congrua requiſitae eruditionis ſpecimina adſtringant, deinde vero obſervata, quae in

reliquis Vniverſitatibus viget, rituum ſolemnitate, Baccalaureos, Magiſtros, Licentiatos aut Doctores, pro diſciplinarum ingeniorumve diverſitate, creent et inaugurent; volentes et iubentes, ut eiusmodi, in dicta Vniverſitate Fridericiana legitime promoti, Baccalaurei, Magiſtri, Licentiati vel Doctores quicunque, in omnibus locis et terris ſacri romani imperii, libere omnes actus legendi, docendi, interpretandi et gloſſandi faciant et exerceant, quos caeteri Baccalaurei, Magiſtri, Licentiati et Doctores in aiiis Vniverſitatibus privilegiatis promoti exercent, et exercere poſſunt de iure vel conſuetudine.

PRaeterea recipimus eandem Vniverſitatem, a memorata ſua dilectione, qua Marggravio Brandenburgico, ut ſupra, erigendam, in caeſaream noſtram ac ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Imperatorum et regum ſingularem protectionem, ſalvam guardiam atque patrocinium, volumusque et decernimus per praeſentes, ut ſingula eius membra, una cum ſtudioſa iuuentute, et iis, qui ad capeſſendos gradus academicos ſe illuc conferent, gaudeant et potiantur, uti, frui, gaudere et potiri, poſſint et debeant omnibus et ſingulis gratiis, honoribus, dignitatibus, praeeminentiis, immunitatibus, privilegiis, franchiſiis, conceſſionibus, fauoribus et indultis ac aliis quibuslibet beneficiis, quibus Vniverſitas *Ingolſtadienſis*, *Colonienſis*, *Heidelbergenſis*, *Halenſis Saxonum*, *Göttingenſis*, ac alia ſtudia privilegiata gaudent, vtuntur, fruuntur, et potiuntur, quomodolibet, ex conſuetudine vel de iure, non obſtantibus aliquibus privilegiis, indultis, praerogativis, gratiis, ſtatutis, ordinationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscumque, in contrarium facientibus, quibus omnibus et ſingulis, ex certa noſtra ſcientia, animo deliberato et motu proprio, per hoc Diploma noſtrum derogamus et derogatum eſſe volumus, dummodo tamen nihil ſcandaloſum vel bonis moribus contrarium, aut ſacri romani imperii conſtitutionibus adverſum ſiue profeſſores ſive ſtudioſi ibidem doceant vel ſcribant, aut doceri, ſcribi, in lectionibus aut diſputationibus publicis proponi, aut ſcripto vel libris ſiue clam ſine palam vulgari permittant.

COncedimus quoque et benigne impertimur dictae Vniverſitati plenam facultatem, annuente ſua dilectione eiuſue in principatu ſucceſſoribus, propria ſtatuta condendi; nec non Rectorem aut quoties illam dignitatem ſibi reſeruare, ſuae dilectioni eiusue ſucceſſoribus placuerit, eius loco Pro-Rectorem, more in aliis Vniverſitatibus recepto, eligendi, cui non minus ac Cancellario, aut ſi hoc munus vna cum Directorio cuidam ex aulicis Miniſtris deferre dilectioni ſuae ejusue ſucceſſoribus praeplacuerit, in eius locum ex facultate iuridica ſubſtituendo Pro-Cancellario,

lario, caeteriſue Vniverſitatis officialibus ea omnia libere et valide exercere liceat, quae eiusmodi officiis de iure vel de conſuetudine annexa ſunt.

QVo etiam dicti illuſtris MARGGRAVII BRANDENBVRGENSIS dilectio eiusque ſucceſſores benignam animi noſtri propenſionem quoad hanc erectionem et fundationem Fridericianam magis magisque experiantur, motu, ſcientia et authoritate, quibus ſupra, facultati iuridicae, et in ſpecie ei, qui ex eiusdem Doctorum et Profeſſorum numero Cancellarii vel Pro-Cancellarii munere, cum vel ſine Rectoratu vel Pro-Rectoratu, Decanatu aut Senioratu fungetur, Comitiuam ſacri Lateranenſis Palatii, Aulaeque noſtrae Caeſarae et imperialis conſiſtorii contulimus, dedimus et elargiti ſumus, prout tenore praeſentium clementer conferimus, damus et elargimur, eumque aliorum Comitum Palatinorum numero et conſortio benigne aggregamus et adſcribimus.

DEcernentes et hoc imperiali edicto ſtatuentes, ut ex hoc perpetuo deinceps tempore, donec et quamdiu dicto Cancellarii aut Pro-Cancellarii muneri praefuerit, infra ſcriptis privilegiis, gratiis, iuribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus, conſuetudinibus et libertatibus vti, frui et gaudere poſſit et valeat, prout iisdem caeteri ſacri Lateranenſis Palatii Comites hactenus uſi et potiti ſunt, ſeu quomodolibet utuntur et potiuntur ex conſuetudine vel de iure. etc. etc *

* *Sequitur prolixa iurium, quibus gaudere debeat eiusmodi Comes Palatinus, enumeratio. Sunt vero, quae ſequuntur: ius creandi notarios publicos; ius conferendi lauream poëticam; ius legitimandi naturales, ſpurios, baſtardos, manſeres, nothos, inceſtuoſos; ius confirmandi tutores et curatores, eosdemque removendi; ius reſtituendi famam; ius adoptandi et arrogandi liberos, eosdemque emancipandi; concedendi veniam aetatis; manumittendi ſervos; interponendi decretum in alienationibus minorum et transactionibus ſuper alimentis; ius denique reſtituendi in integrum minores, eccleſias atque communitates, cetera.*

POſtremo concedimus et elargimur dicti illuſtris MARGGRAVII BRANDENBVRGENSIS dilectioni eiusque ſucceſſoribus in Marchia ſiue principatu Baruthiano liberam facultatem et poteſtatem ſingulis, in hac erigenda Vniverſitate Fridericiana, conſtituendis, facultatibus ſingula et peculiaria conferendi arma et inſignia, quibus in publicis ſcriptis, edictis, mandatis, aliisque actibus, loco ſigilli, pro rei neceſſitate et voluntatis arbitrio, uti poſſint et valeant, ſalvis tamen, quoad praedicta omnia, authoritate Noſtra Caeſarea nec non dictae dilectionis qua MARGGRAVII BRANDENBVRGENSIS BARVTHIANI et fundatoris, eius-

demque ſucceſſorum ſuprema iurisdictione meroque imperio, ac aliorum quorumcunque iuribus.

NVlli ergo omnino hominum, cuiuscunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis aut praeeminentiae fuerit, liceat hanc, Noſtrae conceſſionis, erectionis, confirmationis, indulti, protectionis, comitivae palatinae et aliorum ſupra inſertorum privilegiorum, gratiarum vel facultatum tabulam infringere, aut ei quouis auſu temerario contravenire, ſeu illam quovis modo violare; Si quis autem id attentare praeſumſerit, is Noſtram et ſacri imperii indignationem grauiſſimam, et poenam *quinquaginta marcarum* auri puri, ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum, quarum dimidiam imperiali fiſco ſeu aerario noſtro, reliquam vero partem ſuae dilectioni, qua Marggravio Brandenburgenſi Baruthiano eiusque ſucceſſoribus, decernimus applicandum.

HArum teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum et ſigilli noſtri caeſarei appenſione munitarum, quae dabantur in libera noſtra et ſacri Romani imperii civitate *Francoſurto ad Moenum*, die vigeſima prima menſis Februarii anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio, regnorum Noſtrorum, Romani et Bohemici ſecundo

CAROLVS

piamus exemplum rei. Dextram DEI Scriptura ad omnia mutanda ſufficere profitetur: Quum vero DEO, vt Spiritui, membra corporis tribui nequeant; ab idea termini propria, neceſſe eſt, ad impropriam deueniamus. Qui vſum vocis conſulit atque ideæ propriæ conditionem, ad concipiendam potentiam ſponte ſua ducitur; poteſt autem intellectu hominis comprehendi, cur mutationi rerum omnium par ſit diuina potentia: itaque nexum idearum hic obuium euoluere licet interpreti. Contra, quando Filius DEI paternæ gloriæ ſplendor appellatur, propoſitionis alia eſt indoles. Quamuis enim proprietas vocum ſeruari nequeat; vſus tamen & contextus ita explicare iubet aſſertum, vt Chriſto eadem perfectio eademque diuina eſſentia vindicetur, quæ DEO Patri competit, id quod humani intellectus ſphæram procul dubio excedit. Nihilominus admittenda eſt propoſitio &, ſi alium interpres ſenſum quæreret, minus recte officio ſuo fungeretur. Hæc ſunt, quæ in locis Scripturæ dogmaticis obſeruanda interpreti puto, vt nec parum rationi nec nimium permittat. Nimirum, vt paucis rem complectar; rationi deſerere proprietatem hic licet, & quæ ſunt vſitatiora, vbi ex principiis certis vel aſſerti falſitatem vel diſſenſum a contextu & reliqua orationis conditione imminentem valet deducere: contra inhærendum eſt proprietati atque vſitatioribus ideis impropriis, ſuffragante vtrinque vniuerſæ orationis indole, cum vbi veritas propoſitionis manifeſta eſt, & ex ipſis ideis euinci poteſt, tum vbi emergit propoſitio, quæ ſublimitate ſua menſuram rationis excedit, nec licet in contrarium hic principia minus certa vrgere. Supereſt, vt de limitibus agam rationis in interpretatione locorum hiſtoricorum. Hiſtorici loci ſunt, in quibus facta recenſentur, ſiue ea cauſarum intelligentium, ſiue rerum libertate carentium proximus ſint effectus. Et factorum quidem, perinde vt dogmatum, diuerſa in Scripturis ratio deprehenditur. Alia per leges naturæ nobis cognitas abunde poſſunt explicari:

alia

Digitized by Google

alia beneficio harum legum perduci ad liquidum nequeunt, ſed vim deſiderant ampliorem; huc ipſo philoſophorum iudicio vniuerſi creatio pertinet, & mirifice falleretur, qui diluuii inundationem, mortuorum excitationes, pluraque his ſimilia ex eo cenſu putaret eximenda. Conſtituta hac differentia, quid in locis Scripturæ hiſtoricis ſit licitum rationi atque illicitum, haud difficulter innoteſcet. In conceſſis hoc iterum pono, determinationes, quas offert facti relatio, accurato colligendas eſſe ſtudio, & iunctim conſiderandas, contra enim qui faceret, relicto interpretis officio auctoris ſibi arrogaret partes, factumque non ab alio relatum, ſed ex ingenio fictum, proponeret. Quod ſi igitur ex relatis determinationibus ita explicari factum poteſt, vt ad conſuetas naturæ leges redeat, indeque penitus intelligatur; nihil impedit, quo minus hanc explicationem ſectetur interpres, & vniuerſum rei modum in aprico collocet. Ita factum Dauidis, quum funda hoſtem proſterneret, quem totus reformidabat populus, quantumuis illuſtre ſit & egregium, nihil tamen continet, cui explicando non ſufficiat naturalium virium vſus ac diuturno exercitio confirmata applicatio. Recte igitur ex his principiis rem omnem repetit interpres, & pro virili explicat. At quando res geſtas pro ea, quam Scriptura exhibet, relatione ex conſuetis naturæ legibus non poſſumus explicare: magna opus eſt circumſpectione, ne forte nimium rationi indulgeamus. Sunt inter facta, quorum recenſionem Scriptura continet, nonnulla tam aperte vltra vires naturæ eleuata, vt non emotæ mentis hominem agnoſcere illud oporteat: ſunt alia, in quibus paulo obſcurius eſt, vtrum vires naturæ, qua parte non penitus exploratæ ſunt, præſtare tantum valeant. In illis admitti miraculum tantæ eſt neceſſitatis, vt manifeſto temeritatem prodat, qui modum facti comminiſcitur per conſuetas naturæ leges explicabilem: in his ex datæ relationis indole iudicium eſt ferendum. Si enim indicia hic occurrunt peculiaris diuinæ operationis, auctoritatem Scripturæ labefactaret, qui negato miraculo naturalem facti modum proponeret: ſin huiusmodi deſunt indicia, intercedi non

Digitized by Google

poſſe arbitror, quin euentum naturali modo explicare liceat & hypotheſin huc facientem ponere. Illuſtrabo quæ dixi exemplis. Seruatorem noſtrum e mortuis excitatum diſcipulis ſuis apparuiſſe luculentis Scriptura teſtimoniis confirmat: iuſtos itaque interpretationis limites tranſilit, qui, quum inficiari nequeat, miraculoſam hanc fuiſſe reſurrectionem, audacter teſtium fidem ſollicitat & neſcio quos phantaſiæ luſus præter meritum hic cauſſatur. Contra ſuis ſe limitibus continet, nec rationem vltra oleas vagari patitur, qui ſupremi Numinis virtutem atque operationem ſingularem in reſurrectione Seruatoris agnoſcit. Vtrum naturæ viribus effici nequeat, vt aliqui eius generis morbi pellantur, quales hominum Seruator profligauit: fuerunt non pridem, qui ambigerent. Verum, ſi quis hinc beneficia Seruatoris noſtri in ſanandis ægrotis præſtita naturaliter explicari poſſe contenderet; næ! is in interpretando vltra id, quod licet, progrederetur; quum immediatam DEI operationem euidenter in hoc negotio diuina oracula doceant, quare etiam hic miracula totidem, neceſſe eſt, admittamus. Mirabile multis viſum fuit, quo pacto accidere potuerit, vt primos noſtri generis parentes futili diabolus ſermone ad peccandum celeriter induceret; ſed, quoniam nulla hic peculiaris diuinæ operationis indicia vel ex relatione Scripturæ erui vel ob rei ipſius indolem intelligi poſſunt, ſatius eſt, admittere hypotheſes, quæ ad naturalem facti explicationem faciunt. Poſſem hæc longius perſequi, niſi temporis anguſtia in perficienda argumenti huius tractatione breuitatis legem imponeret, meæque filum orationis abrumpere hic iuberet. Faxit DEUS, vt in hac litterarum & bonarum artium ſede, quam ſub diuinis auſpiciis Munificentiſſimus Princeps condidit, iuſti ſemper limites in interpretanda Scriptura S. obſeruentur, vt veritates in ea cœleſtes abſque erroribus admiſtis perennent, & contra aduerſariorum molimina defenſores habeant ſtrenuos, vt ad promouendam veram hominum felicitatem DEIque gloriam illuſtrandam omnes omnium conatus perpetuo in ea dirigantur!

No. VIIII.

DE DIGNITATE CANCELLARII IN ACADEMIIS PROTESTANTIUM

ORATIO

ANDREAE ELIAE ROSSMANNI

Iur. V. & Phil. D. Sereniſſimi Marchionis Brandenburgici a Conſiliis aulicis, & Profeſſoris Iuris ac Philoſophiæ Publici O.

Primi Pro-Rectoris, atque Decani Ordinis Iuridici,

habita

cum

in inaugurationis Academiæ ſolemnibus Doctores atque Licentiatos Iuris inaugurarent Vtriusque.

Viri Per Illuſtres, Illuſtres, Generoſiſſimi, Excellentiſſimi, Summe Reuerendi, Conſultiſſimi Experientiſſimi Clariſſimique,

Patres Academiæ conſcripti,

Academiarum ablegati,

Auditores omnium ordinum atque dignitatum honoratiſſimi.

Germania noſtra non ab antiquo hac felicitate fruitur, quod ſcientiis pretium & præmium virtuti ſtatuatur: ſed hoc nouiorum ſeculorum debemus beneficio, vbi omnia æquiori iudicio æſtimare homines ſolent. Sat enim diu inuaſerat ingenia

Digitized by Google

mortalium caligo, atque ignorantiæ tenebris occupatæ erant Germanorum ſcholæ, cum nebulam hanc atque inſcitiarum barbariem diſſipauit ſol veritatum, atque detexit, quod turpiter neglectum iacuerat adhuc. In primis enim reipublicæ Germaniæ initiis, plus impenderant maiores in id, vt, quod rerum conditio poſtulabat, conderent vtcunque ciuitatem, laxo ſatis nexu coactam, crearentque duces & principes belli pacisque curam gerentes, auctoritate ſuadendi magis, quam poteſtate imperandi. Scholas vero erigere, dulceque doctrinæ pabulum ingeniis, ab omni liberalium artium genere vacuis, præbere, rempublicam legibus, prudenti conſilio effictis, armare, de his quidem nunquam cogitatum fuit ſerio. Quæ in hoc bonarum artium neglectu, atque ingeniorum torpore, præmia virtutum atque diligentiæ? Gens ſcilicet bello dedita, cui difficile perſuaderi, ſudore conquirere, quæ ſanguine poſſent parari, eam demum veram laudem, verumque honorem crediderat, qui res in bello fortiter geſtas ſequeretur, & qui forti potius manu partus eſſet, quam lucubrationibus, vigiliis, laboribusque litterariis.

Si quæ fuerunt ſcientiarum ſcholæ in Germania noſtra, eæ occupatæ erant Bardis, magiſtris carmina heroum diſcipulis, quos abditas ſacrorum artes edocebant, præcinentibus. Nullum commercium ſcientiarum exercebant cum iis, qui ſacerdotes iuſtitiæ, adque adminiſtratores legum eſſe debebant. Hi Martis aleæ, quam ludebant, peſſime relinquebantur.

Quid Monachi atque Epiſcopi, poſtquam religio Chriſtiana magnam Germaniæ partem occupauerat, aliter fecerunt? ad vitam tetricam adſueſcendam, religionemque interpretandam vnice fere ſuos ducebant diſcipulos. Ceterarum vero artium, quarum in gubernanda republica eſſe poterat vſus, aut nulla habebatur cura, aut, ſi quid iſtis operæ impenderent, non niſi ſui ordinis viris earum faciebant copiam, vt ne ſcribendi quidem artem laicis mandarent.

Digitized by Google

rent. Ex quo hoc incommodi prouenit, vt ſi quid in rebus ſecularibus literis perficiendum erat, hoc Clerici tractarent, & Cancellariam principum ſoli occuparent, ipſumque reipublicæ clauum inuáderent audacter. Sic amiſſa erat, a parte Principum, poteſtas erigendi ſcholas, cognoſcendique de moribus iuuentutis, vnde damni multum manauit in rempublicam, cum clerici ſibi exinde pararent honorem cum auctoritate, laicis vero contemptum atque obſequium. Cathedra duplex Epiſcoporum excogitabatur callide ſatis, docendi populum altera, altera vt inſtituerent iuuentutem: ita vt in monaſteriis etiam, quæ olim ſub poteſtate Epiſcoporum, ſcholas dirigerent Epiſcopi.

Poſtquam vero Cathedra hæc translata fuerat in ſcholas palatinas atque Vniuerſitates, quæ in Germania erigebantur, ſibi probe cauerunt epiſcopi, ne ſimul facultas docendi, eamque conferendi huc migraret. Ius enim diœceſanum ſat propugnaculi erat, vt Principes ſe ab hoc iure circa doctrinas publicas, abſtinerent vltro.

Verum enim vero vbi puriora ſacra cœperunt per reformationem pluribus Europæ, atque præſertim Germaniæ prouinciis inferri, iam videndum eſt, quid tum actum fuerit cum iure circa doctrinas publicas, & quæ ſors fuerit pontificis & epiſcoporum, etiam in hac iurium ſacrorum parte?

Eorum poteſtas ſuſpenſa, niſi mauulris extincta eſt. Principes Auguſtanæ confeſſioni addicti iura ſacrorum, DEO auxiliante, recuperarunt poſtliminio, expuleruntque eos, qui in eorum territorio condiderant ſtatum contra ſtatum, alteramque partem iurium maieſtaticorum, non vocarunt in dubium ſolum, ſed & extorſerant prorſus Principibus.

In recenti, *omnium Ordinum Auditores honoratiſſimi*, memoria obuerſatur, quod heſterno die PRINCEPS NOSTER CLEMENTISSIMUS, qui hoc præci-

cipuo iuris ſacrorum gaudet, monumentum, laudes optimorum principum ſuperans, fundauent. Omnibus hanc bonarum artium ſedem numeris abſolutam inaugurauit, ornauitque præclare. Inſtituit enim non modo in omni litterarum genere Doctores, ſed etiam magiſtratu ſuo inſtruxit hanc nouam hominum, vndequaque coeuntium, ſocietatem; in vtroque vſus poteſtate territoriali a maioribus accepta, non vice quadam epiſcopali aut a ſacerdotio profecto. Veneramur ipſum Rectorem Magnificentiſſimum: Veneramur Cancellarium Perilluſtrem, ſuis auſpiciis noſtræ Vniuerſitati præfectum, nec Pro Rectoris poteſtatem, non niſi eius indulgentiæ atque conceſſioni acceptum ferimus.

Eſt hæc ſingularis atque maximi facienda Vniuerſitatum, quæ purioribus ſacris addictæ ſunt, prærogatiua, quod poſt Imperatorem Auguſtiſſimum, nullos agnoſcant priuilegiorum ſuorum largitores, niſi territorii dominum, nec inter Magiſtratus Cancellarium accipiunt, niſi eius auctoritate conſtitutum, in quo quam maxime recedunt a Romano-Catholicorum ſacrorum ſcholis, ubi Cancellarii munus ſemper eſt a Pontifice aut Epiſcopo, ceu ſacræ dominationis inſtrumentum.

Eſſet omnino illuſtre ad dicendum argumentum:

„DE DIGNITATE CANCELLARII IN
„ACADEMIIS PROTESTANTIUM,

& explerem ego quidem hanc ſpartam, niſi obeſſe videretur conſilio rei grauitas, breue temporis ſpatium, virium atque facundiæ inopia, qua veſtras aures demulcere poſſem.

Faciam tamen eius rei iam periculum, quod ſi minus ceſſerit ex voto, eo magis merebitur a veſtra humanitate excuſationem, quo maioribus inuolutæ ſunt tenebris antiquitates Academicæ, quas hic reuoluere opus eſt, ad intelligendum iurium Academicorum ſtatum præſentem.

Can-

Digitized by Google

Cancellarii Academiarum olim fuerunt, qui iura Epiſcopalia in Academiis exercuerunt, fidemque fecerunt publicam actibus, ab earum magiſtratu ſuſceptis.

Hæc eſt ſumma officii ad quod adſtringuntur Cancellarii Academiarum & adhuc hodie. Quis veſtrum eſt, qui neſciat, quid ſint Vniuerſitates, vbi homines docentes atque diſcentes conueniunt ſub ſuo Magiſtratu, atque in corpus quoddam myſticum coaleſcunt, quod referri ſolent ob doctrinas, tam theologicas, tam iuridicas, tam philoſophicas, ad pia corpora?

Philoſophia enim Theologiæ ancillatur perpetuo, atque in iure tractantur inſtituta Conciliorum & Papæ. Hinc etiam eſt, quod Academiæ *ordinaria* Epiſcoporum, in quorum diœceſi erectæ atque fundatæ ſunt, ſubiacent *poteſtati*, niſi Imperatores, vi *aduocatia maieſtatica* & inde profluentis *iuris placiti*, atque Pontifices Romani Rectorem delegauerint cum *perſonatu*. Cum vero Rectores, qua Clerici, & ſi Aduocatis eccleſiæ caruerint, deſtituantur mero mixtoque imperio; inde eſt, quod munus cenſoris exercerent tantum, atrociorem vero pœnam, relinquerent brachio ſeculari.

Nulla alia ex ratione harum rerum, quæ vbiuis obuia, recenſum in me ſuſcepi, quam vt omnia, quæ dicturus ſum, ſine hiatu quodam importuno proferam in medium. Academiarum res omnes ſpirant Clericatum, ſiue Rectorem, qui dirigere & curare debet, vt omnia ordine fiant, ſiue Ordinarium, ſiue Decanos Facultatum, Præſides earum, ſpectemus. Ab his tamen piis corporibus neque patronum neque aduocatum excludere licet.

Principes territorii, ſiue ſint ſeculares, ſiue eccleſiaſtici, academias vt corpora pia dotarunt, iure amortizationis vtentes, opulenter.

Quid inde aliud prouenit, quam vt eis concederetur, & quidem iure optimo, ius in Academiam, ſuis ſumptibus aut conſenſu conditam, patronatus ſummus, ſeu aduocatia maieſtatica. Cum vero Imperatori noſtro in toto Chriſtiano orbe aduocatia propria ſit, ut ſub eius tutamine atque cura omnia pia corpora atque clerici fortunarum ſecuri ſint; hinc etiam Academiae eiusdem tutela gauiſae ſunt. Tanta eſt iuris patronatus ſummi & aduocatiae maieſtaticae poteſtas, vt ab aduocati conſenſu geſta Clericorum ſuum accipiant robur: ut honores impertiant merentibus, & facultatem docendi permittant dignis doctisque. PLACET Aduocatorum ſuorum Epiſcopi requirere tenentur. Et quod magis, ſi Papa atque Epiſcopi ſuarum doctrinarum aſſeclis βραβεῖον dederint, idem facere poteſt Imperator & princeps territorii iis, qui praemium meruerunt in Iure Ciuili. Iactant equidem pontificii, Academias ſolo Pontificis atque Epiſcoporum conſenſu inſtitutas, Roſtochienſem ſcilicet, atque Tubingenſem; ſed vano auſu. Quid enim intereſt, ſiue Imperator *expreſſe* ſiue *tacite* ſuum conſenſum, ſuum PLACET, in erectionem Academiae impertiat? Tacuit Imperator, cum iſtae Academiae erigerentur, ſed hoc fiebat in conſpectu totius Imperii, alias prohibuiſſet, quo minus inauguratio procederet.

Ne nimis audax videar, vbi diſceſſi ab iis, qui de Academiis, earumque origine verba fuderunt, ignoraruntque IUS PLACITI Imperatorum, in Academiis condendis, tuendis, honorum gradibus impertiendis, vela orationis meae contraham.

Monſtraui enim ſat ſuperque Pontificem atque Epiſcopum concedere, vi iuris dioeceſani, facultatem docendi nanciſcendique honores, accedente Aduocati conſenſu per PLACET. Haut excurram in id, vt latius heic exponam, quot iura Epiſcopi? & numme etiam reliqua praeter iura dioeceſana, puta iurisdictionis, ordinis &

& ſtatus exerceant in Academiis? Hæc ultima perſonam Epiſcopi tangunt; illa vero aliter in Academiis exerceri non poſſunt, niſi Academia, quod quibusdam datum, iuribus parœciæ prædita ſit.

Neceſſum tamen habeo, vt iura iurisdictionis, ob difficilem quæſtionem: num merum mixtumque imperium competat Academiis, Rectori atque Cancellario? pauciſſimis tangam. Crucem fixit hoc merum mixtumque imperium interpretibus *authentica habita C. ne filius pro patre.* Qui enim, dicunt, fieri poteſt, vt Academiæ, tanquam ſpia corpora, quæ ſanguinem haut ſitiunt, merum mixtumque imperium exerceant, & qui fit, vt Rectori competat iurisdictio, cum omnis iurisdictio in diœceſi ſit Epiſcopi? Sed deſinant ſcrupulum iniicientes mirari, quando modum exercitii huius iuris melius intellexerint.

Aut enim Epiſcopi iurisdictionem omneque mixtum merumque imperium in ſua diœceſi ordinaria poteſtate ſoli habent: aut delegata quadam poteſtas, cum eorum poteſtate concurrit. Si delegata poteſtas adſit, iudex delegatus vel omnimodam iurisdictionem, vel partem eius tantummodo adminiſtrare poteſt, quod videre eſt in Rectoribus plurium Academiarum. Epiſcopi itaque, qui Cancellarii ſimul Academiarum fuere, omnimodam iurisdictionem non exercuerunt, qua Cancellarii Vniuerſitatis, ſed qua Epiſcopi, & quidem per aduocatum Epiſcopatus. Haut longe probatio harum theſium petenda eſt: nam in omnibus fere Academiis Epiſcopi eiusdem diœceſeos iudicis officium geſſerunt. Cancellarii vero munus, in ſtrictiori ſenſu ſumptum, ambiebant, ut in omnibus actibus, a Rectore, vel Decanis exercendis, præſentes eſſent, ſuisque iuribus proſpicere, & quæ iis competunt ſibi ſeruare poſſent.

Cancellarius enim proprie eſt, qui iudicis ordinarii, ſeu delegati actibus plenam facit fidem. Nam iudici

quamuis, vt iuſtitiam rite adminiſtret, ſuum cuique det, iusiurandum præſtiterit, non aliter fides habetur, præſertim ſi literis res expedienda, niſi adhibito teſte, qui iureiurando ad id obſtrictus, vt geſtis a iudice fidem faciat, eaque expediat. Deinde iudex mandare debet, vt iuſſus eius literis exſcribantur: Sibi vero mandare nemo poteſt. Qui mandata & voces Iudicis excipiebant, Notarii olim vocabantur, qui, quando plures in iudiciis, ſub Proto-Notario, Logetheta, Primicerio Notariorum, Protoſcriniario, Cancellario, atque Archi-Cancellario conſtituti erant. Notarii *miniſterium* geſſerunt: Proto-Notarii, Cancellarii, vero *officium.* Quis eſt, qui neſciat, eos *officium* habere, quibus alii ſubſunt, & cui nemo, *miniſterium*? Caſſiodorum habeo conſentientem, qui ita rem „ profert: „ Hoc igitur laudabile præiudicium, ſententiam „ gratioſam, militiam domeſticam a duodecima indictione „ cancellorum tibi decus attribuit: ut Conſiſtorii noſtri ſe„ creta fideli integritate cuſtodias: per te præſentandus ac„ cedat: per te noſtris auribus deſiderium ſupplicis in„ noteſcat, iuſſa noſtra ſine ſtudio venalitatis expedias: „ omniaque ſic geras, vt noſtram commendare poſſis iu„ ſtitiam. Actus enim tui iudicis opinio eſt, & ſicut „ penetrale domus de foribus poteſt congruenter intelli„ gi, ſic mens præſidis, de te probatur agnoſci: nec „ iniuria: quia talem unusquisque ad reſponſa ſua vide„ tur eligere, qualem ſe cunctis decreuit æſtimari. „ Cancellarius itaque, vt iudicis actis fidem faciat, votum, ſi minus *affirmatiuum*, *negatiuum* tamen vt habeat neceſſe eſt, alias ſua voluntate, iudicis, contra ius agentis, actui daret auctoritatem.

Apud Imperatores atque Pontifices ſummum hoc erat munus, ita vt Pontificibus videretur periculoſum, qui propterea hodie Vice-Cancellarium alere ſolent tantum.

Quod vero Cancellarii apud Principes ſeculares, id etiam apud Rectorem Academiæ Magnificentiſſimum.

Prin-

Digitized by Google

Principes territorii hi plerumque eſſe ſolent. Cancellarii cura omnia Rectoris Magnificentiſſimi mandata expediuntur, ſub eius cura atque tutamine priuilegia ac reliqua ſcripta Academiæ habentur, ei ſubſunt omnes notarii in Academia ipſa.

Quæ cum eiusmodi ſint, facile eſt ad intelligendum, cur Cancellarii epiſcopalia iura, in Academiis exercenda, edicant, erogentque petentibus facultatem docendi impetrandique honores ſummos.

Eſt hæc mea de Cancellariorum Academicorum origine & iuribus ſententia; in qua, licet a Meibomio, Griebnero, Dreſſero, Mallincrotio &c. qui de Cancellariis huius generis ſcripſerunt data opera, receſſerim, facile tamen veniam me impetraturum ab æquis rerum æſtimatoribus, qui plus tribuere ſolent propriæ inueſtigationi, quam auctoritati aliorum, confido. Iudicium ferre de Cancellariis Academiarum proteſtantium, nunc vobis, Auditores æſtumatiſſimi, relinquo. Quicquid enim ſupra de Cancellariis actum, id tangit Vniuerſitates Romano Catholicorum.

Ex quo nempe Papæ atque Epiſcoporum iurisdictio, in terris proteſtantium, ſuſpenſa eſt, idque in omnibus negotiis & cauſis religionem concernentibus, ius concedendi facultatem legendi conferendique honores academicos apud eos exſpirauit; ac proinde Principes Euangelici, iura ſacrorum, puta, inſtitutiones Scholarum, Academiarum, ius in eas inſpiciendi, recuperarunt poſtliminio.

Tempora felicia, vbi Principes noſtri proturbarunt ſtatus in ſtatu conditos extra republicam, vbi in integrum reſtituerunt læſa iniuria temporum: vbi iura Epiſcopalia ipſimet iure exercent ſummo! Noſtri principes nunc ſunt pontifices maximi in ſuo territorio, quid itaque conſenſus papæ Romani ad inſtaurationem Academiarum proteſtantium? numme par pari iura concedere poteſt? rrx

a rege iura belli nec requiret, nec princeps Euangelicus iura ſacrorum a pontifice Romano.

Quod itaque Principes noſtri Euangelici Cancellarios inſtituant in Academiis, id faciunt vi iuris ſacrorum in territorio ipſis competentis, ſeu vti alii, qui non ſemper cum cura cogitata ſua exprimunt, vt Epiſcopi, qui iura diœceſana, iurisdictionis & ordinis exercent, honores academicos diſtribuunt merentibus, atque hæc omnia per *Cancellarium* ſuum expediunt. Amica ſane eſt hæc concordia iurium ſacrorum atque ſecularium, quæ in perſona principis ſancta coaleſcunt.

A Francofurtana Academia hoc munus Cancellariatus equidem exulat: Rex Poruſſiæ tamen ſingulari mandato id tempore promotionum largitur Decanis Facultatum, vt βραβεῖον diſtribuant merentibus. In Lipſienſi Academia ob ſingulares rationes officium Cancellarii manſit apud Merſeburgenſem Epiſcopatum. Tubingæ Profeſſori Theologiæ hoc conceſſum. Halæ idem geſſit Seckendorfius, Ludevvigius, Wolfius.

Quid mirum! quod in noſtra Academia, heſterno die feliciſſimis auſpiciis inaugurata, Cancellarium Magnificum atque Per-Illuſtrem conſtitutum reperiamus.

Princeps noſter Clementiſſimus Mœcenatem noſtrum, DOMINVM DE SVPERVILLE, Cancellarium Academiæ Fridericianæ dedit, eique gratioſe conceſſit poteſtatem declarandi voluntatem ſuam de creandis Doctoribus eisque concedendis iuribus ſuetis. Heri equidem ipſe Cancellarius Per-Illuſtris poteſtatem nobis Decanis dedit creandi Doctores; ne tamen munus eius, in quibusdam partibus, nimis oneroſum ſit, Princeps noſter Clementiſſimus Vice-Cancellarium nobis dedit gratioſe, qui etiam id in mandatis habet, vt voluntatem Principis noſtri de creandis doctoribus indicaret. Dixi breuiter, breuiusque quam pro dignitate argumenti dici debeat, pauca enim, eaque grauiora

ſele-

Digitized by Google

ſelegi. Exemplum adhuc ſupereſt, quod vobis Auditores honoratiſſimi præbeam, veſtrisque ſubiiciam oculis, vt ad viuum quæ dixi omnia reſecem.

Heic nempe mecum ſunt XVII. Candidati Iuris, quos ex decreto ordinis noſtri iuridici ſiſto præſentes, & abſentes, tanquam præſentes. Dignos Facultas iuridica eos iudicauit, ob eruditionem, quam in examinibus monſtrarunt, & ob vitæ integritatem, qui decorentur præmiis honorum Doctoris atque Licentiati I. V. Hi a me requiſiuerunt, vt nomine eorum, quod flagitant fieri, a Principe noſtro, aut eis, quos ad hoc officium denominaſſet, peterem.

Quorum petitis nec deeſſe volo, nec, quod iuſta ſunt, quæ petunt, deeſſe poſſum;

Te itaque Vir illuſtris, Pro-Cancellarie honoratiſſime, Collega æſtumatiſſime

nomine Candidatorum tam præſentium quam abſentium rogo petoque, vt voluntatem declares Principis noſtri Sereniſſimi, quo gradus Licentiati & Doctoris I. V. nanciſcantur; Ordo noſter Iuridicus eos commendat, nec illi deerunt, hoc, quod conceſſiſti beneficium, grata mente agnoſcere.

(Poſt voluntatem Domini Pro-Cancellarii declaratam.)

Lætamini Candidati, de tam exoptato reſponſo conſenſuque vos creandi Doctores I. V. Quod igitur DEUS T. O. M. fauſtum felix fortunatumque eſſe iubeat, vobisque eueniat feliciter, ego Andreas Elias Roſſmann I. V. legitime creatus Doctor

Te

Dn. Daniel Godofredum Shreber, Regis Pol. Elector. Sax. & Ducis Weiſſenfels. Conſiliarium Commiſſionum.

Dn. Hubertum Ioſephum Huff de Steinach.

Dn. Iohannem Gottlieb Fauſt, de Aſchaffenburg, Mœno Francofurtanum.

Dn. Iohannem Elias Lilien, Erfurto Thuringum.

Dn. Godofredum Michael Pfündel, Academiæ noſtræ Secretarium.

Dn. Traugott Lebrecht Eilhard, Aduocat. Altenburg.

Dn. Iohannem Chriſtianum Schubart, Aduocat. aul. Meinungenſ.

Dn. Carolum Benedictum Müllerum, Norimbergenſem.

Dn. Godofredum Nonne, Sereniſſimi Ducis Hildburg. Secretar. & Aduocat. ordinar. abſentem.

Dn. Carolum Chriſtophor. Stockmayer, Aduocat. ordin. Regim. Solisbac. abſentem.

Dn. Iohannem Andream Krahmer, Aduocat. Regim. Magdeb. ordin. abſentem.

Dn. Chriſtianum Fridericum Hempel, Aduocat. Coldiz. Miſn. abſentem.

Dn. Georgium Laurentium Hausfriz, Regiſtratorem Norimberg.

Dn. Ioannem Fridericum Weber, Aduoc. Anſpac.

Dn. Erneſtum Auguſtum Fridericum Speiſer, Seehuſa-Schvvarzburgicum.

Dn. Franciſcum Bernhardum Sperl, Solisbac.

Dn. Ioannem Henricum Küſterum Baruthinum.

Vos omnes, præſentes atque abſentes, Iuris Vtriusque Licentiatos, ſeu Pro-Doctores creo, renuncio, edico, idque auctoritate imperatoria atque Principali. Honores tamen altiores antequam vobis impertiantur, iusiurandum de iuſtitia rite cuiuis diſtribuenda, & de obſeruantia collatoribus præſtanda, præcedat, neceſſe eſt. Præſtate hoc, & poſt huius facti ſemper memores eſtote, ne vindicta diuina vobis olim ſit gravis! Age itaque Domine Secretarie, diſtincta claraque voce conceptam iurisiurandi formulam Dominis Candidatis prælege, vt ad porrecta ſce-

ſceptra, quæ digitis prioribus attingant, ordine pro ſe quisque iurent.

(*poſt iusiurandum præſtitum*)

Quod DEUS T. O. M. felix fauſtumque eſſe iubeat, ego Andreas Elias Roſſmann I. V. legitime creatus Doctor vi officii mihi demandati atque ex auctoritate imperatoria & principali Tibi

(*Nomina Doctorum Iuris*)

Vobis omnibus atque ſingulis, præſentibus atque abſentibus, nomen, honorem atque inſignia doctoralia, confero, vos edico, facio, factosque renuntio atque proclamo, Doctores I. V. in nomine Sacro Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, largiens vobis ſimul omnia priuilegia, ornamenta, immunitates Doctorales, quas creatis in S. R. I. Doctoribus ſolent conferri.

Primum e cathedra inferiori vos ad ſupremam voco, vt poſſeſſionem delati muneris arripiatis.

Saluete heic Domini Doctores, quo optato nomine vos primus compello. Exercete ius docendi, quod vobis cum priuilegiis conceſſum eſt hodie diligentes.

Accipite inſignia doctoralia: heic vobis offero librum apertum, qui vos admonet diligentiæ atque induſtriæ, vt euoluatis libros, & vigilantibus oculis ea obſeruetis, quibus eruditio veſtra augeatur atque conſeruetur: clauſum vero offero, vt propriis vtamini viribus ingenii atque intellectus: reminiſcemini eorum, quæ legiſtis: reuoluite ea, atque conuertite aucta nouis rerum argumentis, in veſtrum omniumque felicitatem.

Deinde vobis impono pileum holoſericum ſacro murice tinctum, tanquam indicem dignitatis nobilitatisque veſtræ, purpuram enim gerere eſt nobilium atque imperatorum.

Præterea cingo digitum veſtrum aureo annulo, eocum ius ſigilli impertio galea aperta, & vt, quæ reſpondiſtis

iura eo munere poſſitis. Oſculo denique amicitiæ veſtra ora excipio, digni hac ſignificatione eſtis, qui in ordine noſtro iure familiaritatis utamini.

Sitis quæſo omnium harum dignitatum memores, ne vos exaugurari quisquam neceſſum habeat.

Saluete nunc iterum iterumque Doctores amantiſſimi. Gratulor vobis honores acceptos, DEUMque precor, vt per vos iuſtitia adminiſtretur, tanquam per ſacerdotes iuſtitiæ.

Deo denique, quod præcipuum & ſummum grates pias habeo, pro benignitate, quam etiam hodie Academiæ noſtræ largiri voluit. Tibi Princeps Sereniſſime me profiteor obſtrictiſſimum pro Tua clementiſſima conceſſione, ut his tribuatur dignitas doctoralis, præmium virtutis, diligentiæ, laborum, atque vigiliarum. Vobis vero auditores, omnium Ordinum honoratiſſimi, grates habeo easque ſummas, quod veſtra præſentia actum hunc non ſolum ſolemniorem reddere volueritis; ſed & quod aures oculosque præbere beneuolas noſtris ſermonibus, actibusque haut grauati fueritis: me, meosque promotos veſtro favori commendatos vt habeatis, enixiſſime rogo atque officioſiſſime obteſtor.

Dixi!

No. X.

ORATIO SOLEMNIS

qua
quinque Candidatis ſummi honores medici
conferuntur
a D. CAS. CHRISTOPHORO SCHMIDELIO,
Medici Ordinis Decano pronunciata.

Ex pluribus in medium poſitis caſibus ſingularibus eorumque phænomenis, ea ſolum, quæ ſapienti induſtria explorata ſatisque ſibi ſpectata ſunt, vt ſeligat ſcientiae cujusdam inventor aut promotor neceſſe eſt, ſi ſumma quaedam eaque firma ſtabilire ſatagit principia.

Auditores, quotquot ad haec ſacra noſtra condecorandum beneuole acceſſiſtis, omnium Ordinum honorandi. Vos in primis, Vir Per-Illuſtris atque Excellentiſſime, Academiae noſtrae Cancellarie & Director graviſſime. Rector magnifice, illuſtris Procancellarie. Delegati quotquot adeſtis ſpectatiſſimi. Atque vos Viri ſumme & maxime reuerendi. Iure Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi, nec non doctiſſimi, Fautores atque Collegae ea, qua par eſt obſervantia fovendi. Hoſpites denique & ciues genere & virtutibus ornatiſſimi.

Digitized by Google

Hoc tramite priſcos rei medicae inſtauratores inceſſiſſe, atque ſic obſeruatae ſollicite naturae veſtigia preſſiſſe, laborum, quibus vitam triuerunt, tot reliquiae egregio comprobant teſtimonio. Atque haec fuit artis ſalutaris facies, vsque dominans vbique per Europam barbaries ſcientiam, quam latiſſime patentem neque tunc ſatis adhuc adultam, maxima ex parte oppreſſit, quae demum ab Arabibus, Chymicae & Spagyricae artis cultoribus ſucceſſu temporis reſuſcitata, magnum quidem non tamen ſatis congruum adquiſiuit augmentum. Quo factum eſt, vt ſubtilitatibus acutiſſimis qualitatibusque, quas vocant, occultis ad explicandas corporum facultates in auxilium tunc vocatis, Archaei vniuerſales & particulares, flammulae vitales, fermenta naturalia, humores radicales & ſexcenta pejora prodierint.

In quantum vero ſoliditatis gradum enixa ſit, a quo tempore ſummi in arte viri reliquarum cultiorum ſcientiarum aſſerta & conſectaria, Lemmata alias dicuntur, magno ſane auſu feliciſſimo tamen ſucceſſu in eam transferre ſuſceperunt, quis neſcit? Horum ſollertia res eo perducta eſt, vt Matheſeos totius non euertendae computationes, Phyſices phaenomenorum in corporibus praeſentium ſanae explicationes, Chymiae demum intima ſubſtantiarum ſcrutinia in artis medicae ſummum nunc cedant commodum: atque adeo non ſanguinis ſolum circuitus, veram mobilis perpetui, mortalibus tamdiu quaeſiti imaginem ſiſtens, actiones externarum rerum in machinam animatam, humoribus blande nutritam, non numerandi ad vitam tam ſanam quam opportunam facientes motus patefacti, ſed morborum etiam cauſſae, effectus, concomitantia pluraque antehac aut plane non aut obſcure ſaltem cognita firmis nunc ſuperſtructa ſunt fundamentis. Quo maioris autem momenti eſſe poterunt haecce omnia, eo minus culpandi ſunt illi, qui paſſim quaedam non ſatis exhauſta, nec ab omnibus plane dubiis liberata

reli-

Digitized by Google

reliquerunt, aut in applicandis experimentorum euenti-bus in ſcopulos deducti errauerunt. Facillima eſt ad errorem via, ſi quis veritati theſium theoreticae ſibique nimium credens, effectus contradicentes ſubinde non tanti habet, vt firmae arti aliquid detrahere valeant. Periculoſae plena eſt ars aleae, quae ſolis ratiociniis contenta naturam rei vlterius haud perquirit, periculoſa plurimum eſt concluſio a rationibus, argumentando ſolum enatis, ad experimenti ſucceſſum. Emineas quomodocumque in artis ſyllogiſticae ſapientia, cito ſatis inuenies, quam parum hac ſola profeceris. Nemo enim, niſi qui diligenter vires contemplatus naturæ, cautus attendit, conſtans ſequitur, meditando effectibus inhæret, ſibi perſuadeat, veritatis ſe compotem eſſe futurum.

Quae cum ita ſint, imperantibus in hunc diem ſtatutis ſolemnibus, ampliſſimo huic confluxui *De Lemmatum in medicinam cauta applicatione* quaedam exhibere conſtitui. Patiamini itaque, Auditores omnium Ordinum ea, qua decet obſeruantia colendi, vt æquitatem beneuolentiamque veſtram implorem, quo ſimpliciſſimo neque ſatis polito dicendi generi aures placidas, neque enim longus neque moleſtus ero, praebere non grauemini.

Quoties vnam corporis partem ſeorſim ad trutinam vocare quis contendit, toties aliarum ſe notione egere expetitur; Haeret nempe pluribus, quam ſeparatam ab aliis ſibi ſumit inquirendam. Sic & qui vnam, ex aliarum ſcientiarum ambitu depromtam, veritatem ad quoscumque caſus eligit accommodandam, omnibus ad rectae rationis examen relatis, quae tunc obuia fiunt, protinus animaduertit, quod rerum tot diuerſitates patiantur haud quaquam easdem ſemper mutationes, iisdem non vbiuis obſtringantur legibus; quod minima ſubinde res toti negotio diſcrepantem inducat faciem: caute potius quod mercandum ſit, & quod, ni error ſubrepat, ex inge-

Digitized by Google

nio etiamſi acutiſſimo ne minimum quidem liceat fingere. Viſum ſic phænomenum, oſſa aliaque duriora per machinam, quam dicimus Papinianam, in glutinoſos verti liquores, unusquisque aeri incluſo, expanſo, aquæ demum præſentia adjuto, atque adeo in poros intime penetranti merito tribuit; fallitur tamen oppido, qui circa ciborum, ventriculo primisque viis comprehenſorum, reſolutionem, miſſis reliquis quæ circumſtant, ſolas aeris vires in cauſſam vocat: poſito etiam in corpore humano tanto, qui in experimento cernitur, calore, ventriculi & fiſtulæ inteſtinalis parietes membranacei tantam certe ignis copiam retinere non valebunt, quanta ad hunc effectum ſufficit producendum. Nonne ſic ponderata conceptaculi diſcrepantia plenariam prohibebit experientiae huius adplicationem? Nihil melius ſentiet, idem concoctionis negotium ſoli illi tribuens ingeſtorum mutationi, quam fermentationis generalis titulo includere ſolemus, cuius beneficio omnia, in partes conſtituentes reſoluta, pro diuerſo cohaerendi modo reuniuntur atque tunc in fluidum a principiis ſuis ſatis diuerſum abeunt. Nemo ſane naturam rei aſſequetur, niſi qui omnibus, quae nunc dicta ſunt, certos ſuos limites ponendo, vim etiam ſolidarum partium ſapienter coniungit. Nonne miremur ſtupendum ſtructuræ artificium, quo vnica nutritii ac benigni ſucci emanet gutta, tot machinae laborant, tot cauſſae, ad reliqua diuerſiſſimae, in vnum conſpirant negotium; vna ex iis ſi ceſſauerit, naſcetur humor, ſed non vt antea naturalis.

In extricandis ſecretionum animalium, tot nodis involutarum, phænomenis, in ſolas canalium directiones, diametros angulosue confugiens, ſolam humorum diſpoſitionem aut fabricam partium colaturæ aptam inuocans, O! quam ſeſe ſentiet eluſum. In vanum certo certius cuncta abibunt conamina, niſi ſimul grauitatem, quæ cuique competit tam ex ſolidorum quam liquidorum

in

in illis motorum numero, indeque pendentes diuerſos inter ſe reſpectus ſuſpenſa inquirere manu ſuſcipiat; in renibus tunc & hepate, vt alia plura mittam, canales ipſi ſiſtentur, quorum oſtia ad tantam aperiuntur dimenſionem, vt reliqua, cuiuscumque generis ſint, corporis humani fluida eosdem intrare, permeare & exinde ſeparari queant: & tamen iecur ſolum ſuggerit laticem inſignis vſus bilioſum, renes vero nil niſi liquores, aut praeſentia ſua aut copia nocituros eliminant. Sic unusquisque humor noſtri corporis, & vel vnica eius particula ſingularibus eget organorum varietatibus, affabre in deſtinatum finem aptatis, propriam ac determinatam poſcit viſcerum, vbi praeparatur, ſimilitudinem; atque ex his denique enaſcitur, vt conſtanti naturæ lege ſimiles ſemper, nec alii umquam ſucci ex praeſcriptis ſuis fontibus emergant. *Adeo hic nihil temerarium, ſupervacaneum nihil, caſu nihil genitum*, vt clari cuiusdam medici ore ſic loqui liceat.

In computum porro vocet quis, cordis anteriorem thalamum, qui veteribus dexter eſt, notabilem ſatis copiam, & non raro duas partes plus, ſanguinis a venis reducis admittere, quam ſiniſtrum eiusdem antrum recipere valet; quae ſi ita ſe habent, exactiſſimae concludendi leges hanc inferunt neceſſitatem, quod tanta ſemper cruoris quantitas in pulmonibus, quos traiicit, relinquatur, quanta ob deficiens ſpatium auris, vt vocatur, poſterioris ſacco infundi nequit; intra horae proinde decurſum ſexaginta plures purpurei laticis librae, cuius ultra ſeptuaginta totum habere corpus vix concedimus, in ſolum deducantur viſcus, quod aeri trahendo reddendoque praeeſt. Quid, quaeſo, eueniet aliud, quam vt canales tanto obruti cruore, cum impetui cedant, rumpantur, veſiculae viſceris fabricam facientes repleantur, atque ſic totus ſupprimatur liquidorum circulus.

Pronunciaret quis umquam veriſſimi huius calculi certiſſima conſectaria vero ſimilia, ne dicam conſentanea? nonne cogeremur concedere, cruorem venoſum, in tot minutos tubos prius adactum, ibi reſolutum expanſumque, dum in pulmonea nunc fluit arteria, aeris hic haerentis beneficio ad tam parvam condenſari molem, in anguſtum adeo cogi volumen, quod cauum cordis poſterius, ventriculus dicitur, omne poſtea comprehendit. Num vero hic ſolus pulmonum vſus, an vnica mutatio, quae ſanguini ibidem accidit ſit condenſatio, an omnis ſanguis & in omni ſubiecto pulmonum vim experiri debeat, quaedam non leuis momenti dubios nos fere reddere poſſent. Mittimus tamen haec lubentes, & cuique conſiderandum relinquimus; quanta reſpirationis & cordis continuo agentis neceſſitas, quantusque pulmonum in reliquam machinam animalem influxus ex dictis emergat. Cordis motu viget vita, ex eiusdem tamen culpa, an mavis vitio, periret homo, niſi iners & quieſcens quaſi ſanguis follium pulmoneorum viribus reſuſcitetur, expellatur, condenſetur.

Quem ad modum autem circa haec rigor Mathematicorum temperandus erat, ſic & pari moderamine uti neceſſe eſt conſiderantibus undique diſperſos neruos, quorum omnes perfici actiones motu vibrante, qualem chorda monſtrare ſolet tenſa, plures ſibi perſuadent, qui tamen curatius attendentes, chordas arctiſſime licet filo conſtrictas, de motu ſemel impreſſo tremulo ne minimum quidem remittere, nervos vero leviter ſolum compreſſos omni, qua pollent, efficacia priuari, habebunt; etiamſi non contemplentur, pauciſſimos adeo intentos reperiri neruos, cauta ſi inſtituitur eorum euolutio, qui tremore excitando aut propagando apti euadere queant.

Neque tamen his nunc allatis omnes exhauſti ſunt tituli, circa quos labi poterit incurius aut minus ſaltem, de-

rite

rite inſtituenda veritatum mutuatarum accommodatione ſollicitus, plura certe ſuperſunt. Per chymicam artem diſcimus ſalia quaecumque variis iungere corporibus, ac in multangulos, pro ingenio admixti variantes, apices concreta videmus; nonne autem ſacram offendere nobis ſumimus veritatem aſſerturi, eadem corporis humani humoribus aut omnino bonis aut leuiter modo vitiatis inhaerentia, perpetuis arteriarum pulſibus ſanguinisque prementis conquaſſationibus continuo motu agitata, in angulatum, prout inſpiſſata id ſolutione fit, figurari: vel quod adhuc peius eſt, partes eorum conſtituentes acutas crediturі, cum matheſeos primis quoque contradicat canonibus, quod ex pluribus priſmatibus cryſtalli figura oriatur. Adeo parum certi ſubminiſtrat conſulta ſola notionum ſpeculatio. Tam facile in ſcopulos deducit fugitiuo ſolum oculo tacta occurrentium contemplatio. Tam caute diuerſorum corporum extricanda eſt intimior fabrica. Quantae non diſceptationes quantaque diſſidia inter phyſiologos orta ſunt iamiam, vbi de cordis, muſculoſo ſuo robore moti, figura agitur. Hi thalamorum dilationem irruentis ſanguinis pondere abſolui, illi nobile viſcus contractione elongari, alii tunc breuius reddi contendunt. Satius fuiſſet, acre ponere certamen; fibrarum potius, quae ſuperficiei longitudinem emetiuntur, rimari directionem, & trabium, quae valuulas orificiorum fulciunt, in idem conſpirantem ſitum attento ſatis ſcrutinio ſubiicere. Patuerit tunc, fibras has, tam a ſanguine, ſibi viam vbi non ſatis reſiſtitur parante, quam proprio vitali principio incitatas rubeſcere, contrahi, columnas in ſe premere, valuulas remouere. Vidiſſent, quomodo hi vectes recludunt thalamos, arctatata dilatant, breuiora faciunt antehac extenſa; atque ſic in re tam ambigua & non niſi viuorum, non hominum quidem, vt de veteribus creditur, ſed brutorum ſectione inquirenda, vero proximum ſi non indubitatum quid ſcire ſibi videri poſſent.

Quamquam ſubinde, ſi de viuentium ſtatu, prout in hoc paſſu, controuerſia mouetur, animalibus carere vix poſſimus; eorum tamen diſquiſitio haeſitantem ſemper relinquat eum, qui boni quid exinde in vſum medicum transferre cupit. Cum enim cuicumque eorum generi peculiaris ſua partium concretio obtingat, proprium ſingulis viſcerum commercium datum ſit; quae omnia ſi rite perſpiciuntur, optime vſui, cui ſeruiunt, accommodata, quam nitidiſſime facta inueniuntur; ſic & homini ſingularis, & qualem nullibi exhibere poteris perfectiorem, organorum harmonia conceſſa eſt. At quanta ſpe exciderunt, qui contemplatis beſtiarum extis hominem ex eodem metiri ſupercilio conati ſunt. Qualem introduxerunt rerum miſcelam & confuſionem, qui deficientibus hominum cadaveribus ſolatium ſibi de iumentis quaerere coacti ſunt. Elapſis proxime ſeculis horum plena erant omnia, quae effecerunt, vt loco glandularum, quas homo habet in rugoſis meſenterii fimbriis hinc inde diſperſas, vnica eaque magna pancreatis Aſelii nomine ex canino adſcita ſit corpore; vt cor apice libero diaphragma reſpicere creditum & depictum fuerit usque adeo, donec a RUYSCHIO, cui parem non habuere tempora ſua, profeſtores edocti ſunt meliora. Sed quid moror, priſcorum circa haecce lapſus recenſendo, noſtris certe temporibus non defuere, quibus quadrupedum partes homini proprias facere fuit propoſitum; doctrina & manu clarus Ienenſium TEICHMEYERUS ideo ſe notatum ſentiet a CASSEBOHMIO, viro, cuius obitum numquam ſatis dolebo, & qui inter Anatomicos aeui noſtri fere coryphaeus fuit, de autium ſtructura differente.

Nolo tamen vlterius his inhaerere, ne aliorum contemtu gloriolam adfectare videar; mihi enim, ſi me recte noui, laudibus virorum, de re medica bene merentium, aliquid detrahere nec animus vmquam fuit, nec vllibi futurus eſt. Accingam me potius ad id, cuius cauſſa hic conſiſto, negotium.

gotium. Te itaque Illuſtrem ACADEMIAE noſtrae PRO-CANCELLARIUM efflagito, facias mihi pro ea, quae Tibi credita eſt, auctoritate poteſtatem, Viris his Nobiliſſimis atque Experientiſſimis Gradum, iura & priuilegia Doctorum conferendi; id quod grata, prout decet, mente vt agnoſcamus, nobis incumbet.

Sequitur Conceſſio.

Quod itaque propitio ſub numine coeptum fortunatumque ſit omnibus, quorum vſui aliquid horum intereſt, Ego Caſimirus Chriſtophorus Schmidel, medicinae D. legitime promotus, eiusdemque in alma hac Prof. P. O. medici ordinis nunc Decanus & Promotor rite conſtitutus ex auctoritate ab Imperatore & Principe conceſſa

TE CHRISTOPHORUM ERHARDUM KNOL-LIUM, SOLISBACENSEM.
TE IOHANNEM CHRISTIANUM LEONHAR-DUM, GROITSCHA-MISNICUM.
TE IOHANNEM GEORGIUM ROEDERUM, SCHLEUSINGA-HENNEBERG.
TE TOBIAM ALTIUM, RENTWEINSDORFIO-FRANCUM.
TE CHRISTIANUM FISCHERUM, SCHWARZEN-BERGA-FRANCUM.

Vos, inquam, omnes atque ſingulos in medicinae Licentiatos promoveo, promotos renuncio, renunciatos proclamo, atque hoc ipſo pro talibus vbique & ſemper haberi iubeo, ſecundet vos Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Amen!

Nunc autem ex Praenobili Viro, qui Academiae noſtrae ab epiſtolis eſt, peto, vt antequam vlterius progrediar, Vobis iurisiurandi, quo vos obſtringi neceſſe eſt, formulam praelegat.

Ius iurandum legitur.

Haecce ſi vobis placeant, duobus prioribus dextrae digitis ſceptrum academicum tangentes, ex animi ſententia voceque clara me dicentem ſubſequimini:

Ego iuro & obteſtor, me omnia, quae audiui nunc praelecta, ſancte ſeruaturum eſſe. Ita me DEUS adiuuet!

His nunc rite peractis, Ego Caſ. Chriſtoph. Schmidel. Med. D. legitime promotus, eiusdemque P. P. O. h. t. Med. Fac. Decanus & Promotor rite conſtitutus, ex conquiſita per Illuſtrem Academiae PROCANCELLARIUM Imperatoris & Principis auctoritate Vos Licentiatos Medicinae ſummis honoribus digniſſimos

TE nempe *CHRISTOPHORUM ERHARDUM KNOLLIUM, SOLISBACENSEM.*

TE IOHANNEM CHRISTIANUM LEONHARDUM, GROITSCHA-MISNICUM.

TE IOHANNEM GEORGIUM ROEDERUM, SCHLEUSINGA-HENNEBERG.

TE TOBIAM ALTIUM, RENTWEINSDORFIO-FRANCUM.

TE CHRISTIANUM FISCHERUM, SCHWARZENBERGA-FRANCUM.

in Medicinae Doctores promoveo, promotos renuncio, renunciatos proclamo, atque ſic vos iubeo gaudere omnibus priuilegiis, iuribus & immunitatibus, quibus aliarum S. R. I. Academiarum Doctores frui ſolent. Bene dicat vobis DEUS Trinus in Vno, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Amen!

Cum autem in plerisque ſcholarum maiorum mos obtineat, ſolemnibus his ſigna quaedam externa ſuperaddere, qaeuum iuſtumque duximus, laudandae huic conſuetudini ſatis etiam inter nos facere; eximia enim monita

reum

huius generis ſubeſſe ſymbolis, exponendum mihi nunc ſumam.

Vos itaque e cathedra inferiori ad me in ſuperiorem accerſo. Adeſte nunc in ſublimiori conſtituti loco, & a me hoc ſigno notatam ſumite medicinam faciendi docendique facultatem! Vos tamen ſimul volo admonitos, quod, cum omnium quaſi in poſterum oculis expoſiti ſitis, multorum cenſuris ſubiecti, omni vobis opus ſit cautione, ne officia in aegros veſtra exhibendo, labores priuatos publici iuris faciendo, negligentiae aut craſſi erroris culpa conatus veſtros redarguat, vt potius limatulum & politulum de rebus arduis iudicium veſtrum vbicumque eluceſcat.

Libros nunc vobis offero apertos, qui vobis ſignificabunt, ad eos ceu optimos Conſiliatores confugiendum eſſe, quotiescumque in ambiguis conſilium, in rite perſpectis confirmationem a vobis exigunt occurrentia. Haurite inde Viri, qui generoſo vitae inſtituto ad honores graſſati eſtis, quos medica parat ſapientia, ſingulares corporum facultates, quae tam ingenioſe quam laborioſe per experimenta Mathematica, Phyſica & Chymica demonſtrantur a viris, quibus ſpe bene merendi omnis labor placet. Legite nouos, non tamen ſepoſitis veterum reliquiis, & fruamini opportunitate felicitateque, quam vobis ſecula noſtra, omni ſcientiarum genere adfluentia, largiuntur.

Sed quoniam ex ſtapede, vt aiunt, capiendum ſit vobis perſaepe conſilium, claudo nunc libros, vosque obteſtor: aſſiduo labore vt memoriae mandetis, quaecumque rationis ſcrutinio prius perquiſita, experientia dein comprobata vobis ſunt deprehenſa. In ſuccum quaſi atque ſanguinem conuertite labores eorum, qui magiſtra natura didicerunt, vt de ſinu veſtro annoſae artis noſtrae obſeruata, quoties vſus erit, depromere, atque ſic, quae tuendae valetudini, morbis curandis, ac producendae vitae proſunt, exhibere poſſitis.

Pileum capitibus veſtris impono purpureum, libertatis apud priſcas gentes ſignum. Dignitatis nunc

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

Digitized by Google

nacti eſtis praerogatiuas. In veſtros tamen ne incurrat animos, poteſtatem libertatemque datam eſſe, hominum ſaluti pro placito dominari. Gloriae vobis non ignominiae habeatis, naturae ſeruire; Medicus enim eiusdem miniſter aut imitator languentes erigit animati corporis vires, durumque frangit morbum; dominium vero adfectans, debilitat, ſoluit, euertit conſiſtentium robur, humorum miſcelam turbat, ſymptomatum acuit furorem.

En vobis anulum, priſcis iam temporibus medico honori ſuperadditum ornamentum, quod tamen nunc vobis ſit recordationi, vt ſcientias, ex quibus tam immenſi in artem ſalutarem redundant vſus, vobis quaſi deſponſetis; neque minus indubitatis veritatibus ſuperſtructa earundem aſſerta rite adplicare, caute tamen limitibus, ſi opus eſt, coercere diſcatis.

Tandem vos ſingulos amplector ac exoſculor, atque ſimul virorum, qui humanae ſalutis praeſidem artem liberaliter exercent & profitentur, ordini trado, ſocietati adiungo, atque in pleniſſimam omnium iurium, honorum & priuilegiorum immitto poſſeſſionem. Saluete praenobiliſſimi & experientiſſimi Doctores, atque rem gerite veſtram in ſummi numinis gloriam, generis humani commodum, omniumque, qui auxilia implorabunt veſtra, aegrotorum emolumentum.

No. XI.

No. XI.

GEORGII WILHELMI POEZINGER
Math. & Phil. P. P. O. Fac. Phil.
h. t. Decani

ORATIO

Die V. Novembris. MDCCXXXXIII.

RECITATA

ANTE PROMOTIONEM SOLENNEM

XXXI. MAGISTRORUM.

Socrates, qui totius antiquitatis & omnium, qui verum ſapientiæ pretium ſtatuere ſciunt, iudicio, mortalium ſapientiſſimus merito ſuo, habetur, rabie infectis comparavit Philoſophos, cum devia conſideraret, in quæ veritatis ſemitam quærentes incidebant. Quod etſi prima fronte abſonum a veritate videatur eſſe effatum, tamen ſi curatius rem perſpexeris, & miſellos iſtos homunciones, qui tunc temporis Philoſophorum titulo ſuperbiebant, penitius noveris, nihil veritati convenientius dici potuiſſe, facile perſpicias. Philoſophi, quos Socrates carpit non ii ſunt,

qui indefeſſo veritatis ſtudio ad virtutem & ſapientiam contendunt, neque ii, qui antecellere alios veræ felicitatis cognitione laborant, verum ſunt faſtuoſi viri & rixatores, qui turpiſſima opinionum monſtra, & fœtidos ingenii immaturi fœtus pro ſapientia amplectuntur: qui, modo ab aliis diſſentiendi cupidini ſatisfaciant, & anicularum more injurias in alios evomere poſſint, omnem veritatis curam abjiciunt. Quis, tales viros hominum, ne dicam Philoſophorum titulo exornet, niſi omnem humanitatis ſenſum exuerit? Sapientiam quærentes nihil magis quam pacis & modeſtiæ ſtudium commendat, atque ob id ipſum magnus ille Socrates philoſophiam e cœlo in terras fertur deduxiſſe, quod homines doceret a rerum ſublimium & vanarum ſpeculationibus, ad meliorum atque utiliorum deſcendere cogitationem. Si quæ hodienum floret Philoſophiam, cum ea compares, quæ Socrati amplam adeo ridendi occaſionem ſuppeditavit, longe aliam res faciem induiſſe videtur. Deſiit vana & faſtuoſa de quavis re altercandi cupido; deſiere abſurdæ iſtæ opiniones, quæ ſumma imis miſcentes humano ingenio dedecori erant atque ignominiæ; deſiit mos altius quam par eſt aſcendendo, veritatem quæ vitæ atque hominum felicitati conducit negligendi, hæc omnia, quæ veros Philoſophos comittere dedecet maximam certe partem deſiere. Aſt ſuperſunt tamen micæ nonnullæ harum in Philoſophia antiquitatum. Non deſunt inter eruditos imo inter ipſos Philoſophiæ cultores, qui in diverſa ab aliis abire, quam veritati locum concedere glorioſius ducunt. Non deſunt qui rixas movent & controverſias, de rebus quas vix imo ne vix quidem intelligunt. Unde enim tot tantæque controverſiæ exiſterent? niſi moris iſtius antiqui reliquum aliquid eſſet factum. Tolerari quidem poſſent controverſiæ, ſi modo omnes ita eſſent comparatæ, ut finem aliquando agnoſcerent. Faciunt enim ſæpe ad expediendam & illuſtrandam veritatem,

Digitized by Google

tatem, quæ eo pulchrius eluceſcit, quo plurium colluſtratur oculis atque animis. Sed plures earum ſunt ita comparatæ, ut per hominum, qui eas movent ingenium finem numquam ſint habituræ, ſed quo longius progrediuntur, in eo majorem, ſicut aquæ defluentes, concreſcant molem. Miſeram vero humani ingenii conditionem, quod veritatem quærens magis magisque ab ea aberrat, & cum rectiſſima ſibi progredi videtur via hinc inde delirat.

Genus iſtud controverſiarum de quo modo dixi occaſionem mihi hodie ſuppeditabit, in ſolemni hacce panegyri paucula quædam actui promotionis noſtro præmittendi.

Quod argumentum, ſi non ea facundia, ea copia quam meretur, eoque ornatu (quis enim ab eis, qui Philoſophiæ ſe dicarunt eloquentiæ requirat ornamenta) pertractare queam, veniam a Vobis Auditores, forte impetravero, modo ne patientia abutar veſtra, & brevitati ſtudeam, quæ optimum eſt oratoris infacundi ſubſidium.

Si ad experientiam provocare vellem, demonſtraturus dari controverſias, quæ ſemel motæ nunquam deſinent, infinitus dicendi campus mihi ſe aperiret. Ut enim alias mittam ſcientias, quas mihi non competit dijudicare, in ipſa Matheſi & Philoſophia dantur controverſiæ, quæ integris jactatæ ſeculis procul adhuc a meta diſtare deprehenduntur. Quis enim veſtrum eſt, qui neſciat iſta de terra mota, de vi motrice, de ſignificatione cometarum, de infinitis infinite parvorum ordinibus, de æternitate mundi, de nexu rerum, & alia ejusmodi infinita certamina? Quis credat animos virorum, qui de his rebus diſceptant unquam ſopitum iri, cum hactenus tanto conatu, incerta tamen victoria, de iis depugnatum ſit? Verum nolumus hac in re experien-

Digitized by Google

tiam advocare teſtem. Oſtendit ea quidem, quid de quavis re factum ſit aut fiat, ſed ſi inde quid futurum ſit aut fieri nequeat concludere velis, verum raro & nonniſi caſu attinges. Aliis opus eſt, unde demonſtrationis filum ducamus, principiis, ſi evincere certo debeamus, eſſe eruditorum diſceptationes, quæ, quantumvis protrahantur, ad finem tamen perduci nequeant. Humanæ igitur naturæ indolem conſulamus, ut, qui ad æternas ejusmodi controverſias movendas apti ſint perſpiciamus. Quam ſi conſideramus, deprehendimus hominum quosdam non judicare, niſi rem de qua ſententia ferenda eſt omni perpenderint cura. Si quis, quid judicent, ab eis exigat, immoti quaſi hærebunt, donec omnes quaſi rimas atque atque angulos quæſtionis propoſitæ ſollicite circumſpexerint. Cum in dubio ſunt rationes, non ſuſtinebunt certi quicquam de rebus ſtatuere; Cum vero illucentem in oculos conſpexerin veritatem, ſtatim ad partes eiusdem, quicquid etiam antea ſtatuerint, pertrahentur. Nihil autoritatibus tribuent, nulla veritatis, quantacunque etiam ſit ſpecie deludentur, liquidam quærent veritatem, quam ubi invenere, immotus conſiſtet animus, neque ab ea ſe retrahi patietur. Si quid ab aliis propoſitum eſſe videant, rationes quæ afferuntur præ omnibus inter ſe conferre ac ponderare conſuevenunt. Si validas deprehendunt & ad veritatem evincendam ſufficientes nihil repugnant; ſin vanas atque infirmas eſſe perſpexerint, nunquam ut iis adſentiantur impetraveris. Inter tales viros qui certamina æternum duratura quærat, tantum abeſt, ut veritati conſentanea tradat, ut potius ab ea quam longiſſime aberret. Nullibi minus controverſiarum deprehenditur, quam ubi maturum veritatis & aſſiduum regnat ſtudium, quod, ſi vel maxime ad dubitandum nonnunquam permoveat animum, dubia tamen gignit ſtatim diſparitura, cum lux veritatis ad mentis pertingit oculos. Alia longe ratio eſt alterius hominum

num generis, de quo nunc ſumus dicturi. Hi, quamprimum aliqualem ſaltim conſpexere veri ſpeciem aut larvam, ſtatim ad eam tanquam ad oraculum divinitus datum confugiunt. Si quem virum deprehendant, qui aut fama, aut magiſtrorum, quibus prima litterarum rudimenta debent, vocibus ſuper alios effertur, ejus effatis plenam & ſummam habent fidem, quicquid etiam dicat contra veritas. Nihil hi rationibus nihil rationum ponderi tribuunt, omnia cœco metiuntur impetu, qui quo ſemel latus eſt eo perpetuo fertur, quæcunque etiam objiciantur impedimenta. Si qua forte occaſione ad majorem excitantur attentionem, ea fulguris more, citius quam nata eſt perit, & ubi vix minimam conſiderandorum partem perſpexerint, ad alia ſtatim dilabuntur. Sedet interim animo opinio quam raptim adeo concepit, in eoque radices agit adeo, ut inde divelli nulla argumentorum vi, nullo rationum pondere queat. Hoc hominum genus, fluxum atque inſtabile, quod quo fert impetus præcipiti caſu ruit, & cum leviſſime rem conſideravit, ſententiam ſtatim ferre audet, hoc inquam hominum genus eſt, quod controverſias ita alere poteſt, ut vires eundo acquirant, neque ad metam unquam pertingant. Expectabitis nunc auditores, ut aſſerta demonſtrem, & jure id a me exigitis. Cum enim Oratori qui laxiori utitur probandi genere, vertatur vitio, ſi quid, quod probabilitate & argumentis deſtituitur, profert, quo magis ei qui Philoſophus audit, qui demonſtrationibus aſſuetus debet eſſe, cui non niſi liquida veritas eſt admittenda, curandum eſt, ut ne quid proponat, cui fidem non faciat. Conſideremus itaque Aditores, eorum, quos ad non finiendas controverſis aptos pronuntiavimus, indolem atque ingenium.

Neminem, niſi qui ab omni experientia deſtitutus eſt, fugiet Auditores, animi paſſiones ac propenſiones in variis hominibus adeo diverſas eſſe, ut, qui eadem per omnia

Digitized by Google

ſectentur vix duos offendas homines. Quod huic arridet, id alteri diſplicet, quod huic videtur, id improbat alius. Mirumne igitur videatur homines in diverſas abire ſententias, cum quæ in humani ingenii cognitionem veniunt hominum affectus tam variis moveant modis. Quæ triſtioris naturæ ſunt veritates quam claræ etiam ſint quam illuſtres, eæ ingeniis ad hilaritatem compoſitis vix unquam arridebunt. Quæ contra mitiores ſunt & animos exhilarare aptæ, eæ nunquam ad ingenia auſtera profundius penetrabunt. Quæ difficiles ſunt acceſſu, nec niſi eximio labore deteguntur veritates, eæ fugacia ingenia facile a ſe alienabunt; quæ vero ipſæ ſe retegunt, & in oculos ſponte veluti ſua irradiant, eæ deſpicatui erunt ingeniis callidis & magno ſubactis labore. Quodlibet fere veritatum genus ſuos poſtulat quos ad ſe rapiat homines, quorumque aliter a natura conſtituta eſt indoles ab eis non ſine magno labore impetrabitur, ut calculum illi adjiciant.

Adde his, quod plurimis hominum & huic eruditorum generi quod reprehendimus ſolenne ſolet eſſe, ut aliorum diſſenſum ægre ferant, ſuique ingenii fœtus deperiant, & videbis admodum facile eſſe, ut controverſiæ ſemel motæ in æternum durent, animique eo magis exacerbentur, quo longius in rixis progrediuntur. Qui enim ſopiri poſſent, ubi quisque non quid verum ſit, ſed quid ſibi arrideat quærit? ubi quisque ex affectu magis quam ex veritate judicat? ubi hic ex eo, alius ex iſto principio probationem ejus quam vindicare ſibi ſumit enunciationis orditur? Qui convenire inter poſſint, quorum unus hanc alius aliam rei partem contuetur, quorum hic Platonis alter Ariſtotelis ſtat autoritate. Fluctuant & hic inde vagantur, quorum animi diverſis opinionibus imbuti paſſionibus omnia metiuntur, & modo opinionibus ſuis fulcra ſubdere queant, parum curæ habent, an bene an male, num ex certis an ex incertis ratio-

ratiocinia ducant principiis. Neque enim ab his expectandum eſt, ut ad interiora rerum penetrent, modo veri quadam ſpecie ſua veſtire opinionum monſtra queant, ſatis ſe ſibi, ſatis veritati feciſſe arbitrantur. Quicquid igitur agas nunquam conciliabis animos ejusmodi, idque inprimis tunc accidet, cum pars utraque veritatem errori permixtam defendet. Haud raro enim contingit, ut qui non niſi rerum ſuperficiem conſiderant, eorum uterque veritatis aliquid ſed errori permixtum a ſuis habeat partibus. In qua confiſus ab errore animum avocat, & quicquid ſibi opponitur, id omne veritati adverſum eſſe ſomniat. Videtis Auditores, quid cauſæ ſit, cur controverſiæ nonnullæ eo usque poſſint progredi, donec tandem omnis eas conciliandi, ſpes penitus removeatur. Plura hac de materia adderemus eamque fuſius pertractari conſultum forte eſſet, niſi ad aliud properandum eſſet negotium, quod muneris clementiſſime nobis concrediti ratio a nobis exigit. Cum enim undique confluxerint viri Munerum gravitate, Eruditione & virtute præſtantes, qui laborum, quos in bonis artibus atque Philoſophia poſuerunt præmia ab ampliſſima facultate Philoſophica expectant, & Doctores ſive Magiſtri Philoſophiæ renunciari cupiunt, igitur Ego Georgius Wilhelmus Pœzinger Ordidinis Philoſophici hoc tempore Decanus & Brabeuta rite conſtitutus rogo abs te Vir illuſtris & Magnifice IOH. WILH. GADENDAM, qui Procancellarius Academiæ noſtræ conſtitutus es, velis jubeas, ut hoſce Philoſophiæ Candidatos, qui apud ampliſſimam Facultatem Philoſophicam nomina dederunt, tam abſentes quam præſentes, Doctores ſive Magiſtros Philoſophiæ creem ac renunciem, id quod meo & eorum nomine abs te flagito.

RENUNCIATIO SOLENNIS.

Etſi ſolenne ſit bonarum artium quarumcunque Candidatos diverſos peragrare Gradus, antequam ad ſummos pertingant honores, ita ut Baccalaureorum

primo, deinde Licentiatorum & poſtremo Doctorum iura recipiant: Nolumus tamen, quod una eademque hora faciendum eſt in tres diverſas ſecare partes, eoque tempus & operam ludere. Utiles eſſe poſſunt gradus iſti, cum per tempus licet, ut ſuperioribus ſe dignos eſſe, qui inferiores obtinuerunt, monſtrare poſſint. Aſt ubi per temporis penuriam fieri hoc nequit, non video quid impediat, ut per ſaltum quaſi ad ſummum perveniant, qui inferiores non attigere. Aliarum itaque univerſitatum exempla ſecuti, in hac ſolemni Panegyri, ne diutius, quam par eſt, ſplendidum auditorum conſeſſum detineamus, omnes & ſingulos hoſce Candidatos ad Magiſterii honores provehemus, modo jusjurandum iſtud præſtiterint, quod ab ampliſſima facultate philoſophica prius præſtandum eſſe conſtitutum eſt. Attendite igitur animis prænobiliſſimi atque honoratiſſimi Candidati, ut quid jurandum ſit probe intelligatis. Age igitur Domine Secretarie, præi verba in quæ prænobiliſſimi Candidati jurent.

Jure jurando nunc præſtito, ad rem ipſam accedimus ut ſummos honores philoſophiæ prænobiliſſimis hiſce Candidatis conferamus.

Quod igitur felix & fauſtum ſit, & ſummi numinis cedat in honorem, univerſæ vero rei litterariæ, noſtræ imprimis univerſitati ad emolumentum vergat, veſtrumque prænobiliſſimi Domini Candidati promoveat honorem, veſtræque utilitati inſerviat, Ego Georgius Wilhelmus Pœzinger artium & philoſophiæ magiſter ſive doctor rite creatus, facultatis philoſophicæ h. t. Decanus & Brabeuta legitime conſtitutus pro Autoritate Cæſarea, quæ mihi vi privilegiorum ab Auguſtiſſimo Imperatore nobis datorum competit & quæ mihi nunc eſt collata, ampliſſimæ facultatis philoſophicæ nomine, vos omnes & ſingulos Candidatos Philoſophiæ prænobiliſſimos, nimirum

Te Chriſtianum Henneum, Ser. March. Brand. Diac. Aul. & Illuſt. Coll. Chriſt. Erneſt. Con-Rectorem.

Te

Te Ioannem Chriſtophorum Eſchenbach, Schauenſtein. Rev. Min. Cand.

Te Fridericum Michael Kobes, Cur. Var. R. Min. Cand.

Te Ioannem Chriſtianum Wibel, Aſſeſſ. Conſiſt. & Diac. Wilhermsdorf.

Te Ioannem Fridericum Braun, Illuſt. Colleg. Chriſt. Erneſt. Rectorem.

Te Wolfgangum Ludovicum Græfenhahn, Ill. Coll. Chriſt. Erneſt. Sub-Rectorem.

Te Simon Gabriel Succov, Megapol. S. Th. C.

Te Michael Gottlieb Fiſcher, Weidena Pal. Rev. Min. Cand.

Te Ioannem Wilhelmum Jungendres, Norim. S. Th. Cult.

Te Samuel Chriſtianum Roxer, Paſt. Buckovienſem.

Te Ehrenreich Chriſtianum Lebrecht Speiſer, Kelbra. Schwarzb. Th. C.

Te Fridericum Leonhardum Deubner, Rev. Min. Erlang. Vicarium.

Te Wolfgangum Henricum Melzer, Paſt. Ottenh.

Te Martinum Leonhardum Haller, ArchiDiac. Erl.

Te Ioannem Chriſtianum Schmidt, Seren. March. Brand. a Conſil. Sac. & Conc. Aul.

Te Ioannem Andream Winter, Iſnacen. Rev. Min. Cand.

Te Fridericum Oertel, Rect. & Diac. Erlang.

Te Ioannem Purrucker, Illuſt. Coll. Chriſt. Erneſt. Sub-Conrectorem.

Te Carolum Fridericum Chriſtophorum Martium, Collegam Tert. Erlang.

Te Andream Creuzberger, Scholæ Neoſtad. Adjunct.

Te Samuel Seizmair, Norimb. Theol. Cult.

Te Philippum Engelbertum Adamum Schad, R. Min. Cand.

Te Chriſtophorum Adamum Müller, Geſella Variſcum R. Min. Cand.

Te Georgium Michael Burger, Walmmersbac. R. Min. Cand.

Te Ioannem Chriſtophorum Müller, Sem. Baruthini Vicarium.

Te Ioannem Paulum Reinhard, Vinarienſem. Theologiæ Cand.

Te Ioannem Ludovicum Boehner, Weidenberga Baruthinum. R. Min. Cand.

Te Gottlob Hering, Eiſenberg. Rev. Min. Candidatum.

Te Aug. Richhardum Eilhard, Altenb. Th. C.

Vos, inquam, omnes ac ſingulos tam abſentes quam præſentes Doctores Philoſophiæ & bonarum artium ſive Magiſtros creo, renuncio & publice proclamo, Vosque ab omnibus tales agnoſci & haberi jubeo. Facultatem inſuper vobis concedo legendi, diſputandi, docendi, uno verbo, omnia vobis jura & privilegia, omnesque immunitates tribuo, quæ a ſummis Imperatoribus & facultatibus philoſophicis quibuscunque, Philoſophiæ doctoribus conceduntur & concedi debent, in nomine Sacroſanctæ Trinitatis, Dei Patris, Filii & Spir. S. Amen.

Aſcendite nunc in hanc Cathedram clariſſimi domini Magiſtri, quo vos nomine primus compello. Dignos vos eſſe hoc loco editiore, jam comprobaſtis cum ſpeciminibus ad nos transmiſſis, tum examine quod ſuſtinuiſtis. Dignos vos porro præbete ut Academiæ noſtræ ornamento ſitis ac atque honori.

Ut tamen animo veſtro firmius inhæreat quid honoris conſecuti ſitis, quidve veſtri officii ratio a vobis exigat, opus eſt Ceremoniis iſtis ſolennibus, quæ tanquam ſacri, cœtus Philoſophici, ritus ſolent obſervari.

Librum itaque vobis trado apertum eoque admoneo, ut quam hactenus in libris legendis poſuiſtis induſtriam porro commendatam vobis habeatis. Legite antiquos iſtos Philoſophorum libros? Legite recentiorum placita? & quidquid vobis occurrit memoria dignum id animis veſtris penitus infigite? Falluntur enim qui, e ſua ſe penu cuncta depromere poſſe, ſomniant, quibus opus eſt, ad vitæ humanæ vtilitatem.

Claudo

Claudo vobis rurſum librum, ne legendo omnia effici credatis. Qui non niſi legunt, ii confuſam ſententiarum farraginem animis infigunt ſuis, quæ niſi frequenti meditatione & concoquatur & digeratur, omnis utilitatis expers eſt. Veſtris itaque viribus confiſi conferte inter ſe, quæ legiſtis; & non niſi quod optimum eſt memoria retinete? imo ulterius progredimini. Neque enim ſapientiæ ager ita exhauſtus eſt viribus, ut ulteriora ferre nequeat, & veritates veritatibus addere non liceat.

Pileum nunc capitibus veſtris impono, qui romanis libertatis, nobis doctorum, inſigne eſt. Procul ſit a vobis meticuloſus iſte & ſervilis animus, qui veritatem reticet, ubi non eſt ad aliorum palatum; libere potius poſitemini quæ vera agnoſcitis, omnemque a vobis amovete timorem, modo nihil quod pietati, quod bonis moribus, quod rei publicæ contrarium eſt ſtatuatis.

Annulum aureum digitis veſtris admoveo nobilitatis inſigne. Mementote honoris, qui vobis hodie confertur, vosque ſupra vulgus ignobile elatos eſſe ſcitote, eſt enim & eruditorum vulgus quoddam, quod a moribus inquinatis & opinionum pravitate facile dignoſcetis. Cavete vobis ab eo, & nihil niſi quod laude dignum eſt ſectamini.

Tandem Oſculo vos excipio, ut concordiam inter vos tueri diſcatis. Decet philoſophos concordi animo veritatem propugnare. Abſit igitur a vobis omne partium ſtudium, abſit quidquid lites movere & animos concitare veſtros poteſt. Ne, cum vos inter vos proſcinditis, veritas ipſa periclitetur. De Honoribus poſtremo collatis ſincera vobis mente gratulor veſtramque mihi amicitiam expeto. Dixi.

Digitized by Google

AVSPICIIS CLE

RECTORIS MAGI

SERENISSIMI PRIN

DOM

FRID

MARGGRAVII BRANDENBVRGICI PRVSSIAE SILESIAE

POMERANIAE CASSVBIORVM ET VANDALORVM

NORIMBERGENSIS

QVAM PO

INVICTISSIMVS AVGVST

CAROL

ACADEMIAE F

CLEMENTISS

EXERCIT

COMES SACRI PAL

JOANNES GVILIE

I. V. E

FRIDERICIANAE

SERENISSIMI MARGGRAV

ET IVRIS HISTORIAR

TRIBVEND

ET CVM EADEM

VIRO PRAENOBILISSIM

CHRISTOPHORO E

MEDICIN

VTI PRAEMIVM N

DEXT

SVMMA DILIG

ET PERFECTAE

IVSTI

QVIBVS SOLEMNIBV

PROCERES AVLAE AC

MVSARVM PATRONI

CVM CIVIBVS REVERENTEI

INVI

A. D. VI. NO

Digitized by Google

XII.

MENTISSIMIS
IIFICENTISSIMI
IPIS AC DOMINI
IINI
ERICI

MAGDEBVRGI CLIVIAE IVLIACI MONTIVM SEDINI
MEGAPOLEOS CROSSAEQVE DVCIS BVRGGRAVII
CETERA CETERA
TESTATEM
SSIMVSQVE IMPERATOR
VS VII.

RIDERICIANAE
ME INDVLSIT
VRVS EST
ATII LATERANENSIS
LMVS GADENDAM
T PH. D.
ROCANCELLARIVS
I CONSILIARIVS AVLICVS
MQVE PROFESSOR P. O.
) LAVREAM
CONNEXA PRIVILEGIA
O ET EXPERIENTISSIMO
RHARDO KNOLLIO
IE DOCTORI
ATVRALIS INGENII
ERITATIS
ENTIA EXCVLTAE
IN ARTE POETICA
SSIMVM
VT INTERESSE VELINT
ADEMIARVM ABLEGATI
ACADEMIAE MEMBRA
OFFICIOSE ET PERAMANTER
TANTVR
EMBRIS MDCCXLIII.

(L.S.)

Digitized by Google

No. XIII.

ORATIO

QVA AEDES PVBLICAE SOLEMNI INAVGVRABANTVR RITV.

IN

AVDITORIO MAIORI

RECITATA

DIE XI. NOVEMBRIS MDCCXLIII.

A

CAROLO ADOLPHO BRAVN

I. V. D. ET P. P. O.

Perilluſtres, Illuſtres, Summe Reuerendi,
Excellentiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi,
Doctiſſimique,
Tuque ſtudioſa Iuuentutis corona!

Si vnquam DEUS immortalis fauente ſua clementia illuſtrem mihi dedit, atque daturus eſt dicendi cauſſam, non a me, timore trepido, ſed ab oratore

Digitized by Google

oratore ſumma eloquentia inſtructo, et ſuaui facundia pollente eloquendam: In ueſtra certe uenerabili corona, A. O. O. H. hoc hodie eſt, ubi immortale, et in omne aeuum duraturum opus conſtruimus. Opus nulla ſatis laude euehendum! Opus publice utile! Opus mirabile! Opus tandem, quo liberalium artium atque reipublicae decus ſplendorque coruſcant. Intelligo ſolemnem inaugurationem inclutae noſtrae Fridericianae, noſtrique, quod ordo hodie tangit, auditorii publici, quod noſtris replere iubilis, ſummis honoribus condecorare, cuique fauſta quaeuis et felicia apprecari noſtrum omnino ſuadet officium. O! ſi dignum quidpiam de hac re in medium proferre, mea ferret debilitas. Nolite uero ornatum, concinnum, ſuaue, terſum dicendi genus a me expectare; ſed adhuc inconditum, minusue ingenioſum, pro ut fieri adſolet, ſi humiles in confluxu praeſtantium uirorum ad uerba facienda euocantur: Vbi timor, uerecundia reuerentia ab una, ab altera parte conſtantia, fiducia in publicum prorumpunt conflictum. Quantaquanta autem ſit mea oratio; non mei, ſed illuſtris huius occaſionis cauſſa uelitis beneuolas praebere aures, atque ad meum ſermonem attendere, ſi forte uerbulum ſit, quod uobis placeat, aut ſi hoc non ſit, ueritas tamen meae cauſſae ueſtris eo melius ſe inſinuet animis. Augmentum nimirum, probaturus ſum, academiarum, et reipublicae, et literato orbi uel maxime euenire utile. Quaenam enim erunt literae, ſi non augeantur, ſi non indies creſcant? Diuina ſane prouidentia prouiſum eſt, et eum in finem ab aeterno infinita ſeries ueritatum conſtituta uidetur, ut homines, naturae tramitem ſequendo, alteram ex altera ueritatem in medium proferant, antiquitus incognitam, eoque cum maiori diligentia ad perfectionem ſuam enitantur. Quodnam autem erit ſcientiarum incrementum, ubi nullo honoris ſtimulo agitamur, in dies nos ad altiora impellente? Quodnam ſcientiarum incrementum, ubi nulla aemulatio? Quaenam tandem aemula-

 tio,

Digitized by Google

tio, ubi non plures, idem ſcientiarum genus ſequentes? O! aemulatio optimarum artium indagatrix; Veritatum lapis lydius! Scientiarum auctrix! Eruditionis fulcrum. Quo maior itaque eruditorum, emporiorumque ſcientiarum numerus eſt, eo maiorem ad perfectionem literae, eoque citius ſunt peruenturae. Intueamur Romam in antiquo flore: Putatisne Cicerones, Panaetios, Quintilianos, Vlpianos, Paulos, Sabinos, Caſſios, Marones, Flaccos fuiſſe exſtituros, ſi non igneo aemulationis ſtimulo excitati, in ſublime ſe ſuſtuliſſent. Sed quid longius in tam longinqua a noſtris temporibus republica uerſamur? Reuertamur potius ad noſtros. Velitis mecum antiquiora tempora carae noſtrae patriae permeare. Ne uerbo tangam patrum noſtrorum originem ex oriente, nec eorum diſperſionem, nec migrationes. Intactas oratione relinquamus antiquorum populorum tenebras. Ingrediamur ſolummodo ſeculum undecimum, duodecimum, et decimum tertium. Quam atra nox! Quam ſpiſſa, nubila, terribilis obſcuritas! Barbaries tunc temporis pro elegantia erat; Sordidum ſcribendi genus; Graecarum latinarumque literarum ignorantia; Peruerſa omnem ſcientiam pertractandi methodus; Error denique pro ueritate. Nihil adeo mirum, quam per quadringentorum annorum ſpatium homines his in tenebris ambulaſſe. O! Infelicia tempora! Quanta exinde ſuperſtitio, quam indecora horum temporum Iurisprudentiae aliarumque ſcientiarum dogmata. Sane ſi tantus numerus academiarum fuiſſet, ut hodie, ſi tanta aemulatio, literae in tam abſtruſas caligines non fuiſſent prolapſurae. En ſeculo tandem decimo quinto felicior lux, ſed ut in crepuſculis fieri adſolet, Germaniae noſtrae adfulſit. Byzanzum a Turcis expugnatum, ut plerumque unius infortunium alterius commodum eſſe conſueuit, doctores iuris et politioris doctrinae, licet adhuc ſatis dura ingenia, larga manu nobis dabat. Vix hi in Italia, Galliaque ſimul prorumpebant, ac rerumpublicarum gnariſſimi imperatores uariis priuilegiis munirent eos, qui ueluti mercatum ad emporia ſcientiarum ueniebant. Sed quam imbecilla ſtudia. Non inconcinne hanc aetatem infantiam Germanicarum literarum appellabis. Quemadmodum

Digitized by Google

dum uero haec literarum admirabilis eſt ratio, ut prima uice ſe ſtatim commendent omnibus, ac ſi diuini quidpiam iis inſit; Ita nec gens, nec regnum, nec prouincia, nec ciuitas erat, cui arma illa reipublicae, ſcientias intelligo, profligata barbarie, ſibi animos hominum tantum non conciliaſſent. Deſtinabantur urbes: Conſtituebantur praemia doctrinae: Incipiebant de iure reſpondere prudentes: Diſcentibus parabantur priuilegia: Eligebantur perſonae, quae aliis iterum, quibus imbuti fuere ſcientias communicarent; Vno uerbo ordinabantur academiae. Quo plures earum condebantur, eo maiora incrementa literarum exinde promanabant. Quam laeta meſſis doctrinarum inde prouenit? Quin et ipſam, quae ſubſecuta eſt, Chriſtianorum purioris doctrinae reſtitutionem, ſapiens rerum omnium moderator, immenſa ex prouidentia ad illa ipſa tempora reſeruauit, ubi hanc ſibi uindicant Academiae gloriam, quod inſtrumenta tam diuini fuerint operis. Verae noſtrae philoſophiae, ita uocamus Iurisprudentiam, quanta denique perſpicuitas acceſſit? Cuiacios, Merillios, Freheros, Gothofredos, Noodtios, Bynkershoekios, Arumaeos, Richteros, Carpzouios, Schilteros, Hertios, Strauchios, Struuios, Thomaſios, Gundlingios, Sleuogtios, Ludewigios, Heineccios, et quis eos omnes recenſebit, quorum et nomina uenerabilia nobis eſſe debent, largus academiarum nobis dedit numerus. In mentem cuiquam uenire poſſet, multis academiis conſtitutis, plura ingenia, quae forte in alio uitae genere utilia eſſe potuiſſent, ſtudiorum curſu electo, in peſſima quaeuis degenerare. In mentem uenire poſſet, increſcente academiarum numero reditus Profeſſorum, et perinde eorum diligentiam, ſubſidia comparandorum librorum, et ſplendorem Bibliothecarum aliarumque rerum, quae tamen ad ſtudiorum rationem neceſſariae ſunt, decreſcere. Sed audiatis! Neque aliter euenturum foret paucis academiis conſtitutis, praeterquam, quod plura ingenia inumbrentur, mortuaque deliteſcant. Satius itaque eſt iſta, quae obueniunt incommoda eademque haud euitanda, negligere, quo laetiores fructus ex reliquis colligere queamus, quam literarum dulcedinem plane ſupprimere, et cum defectu academiarum barbara iterum ex-

pectare tempora. Prudens imperator ſi irreparabile damnum, hoſtibus, non aliter, niſi peſſum datis aliquibus ſuorum, infligere poſſet, haeſitaretne? Ego quidem non puto. Si pluribus academiis inſtitutis frequentia Studioſorum diminuitur, eo maior ex aduerſo a docentibus adhibebitur diligentia, ut maiorem prae reliquis academiis mereantur plauſum. Si acquaeſtus rarior eſt, quaerenda gloria, quam ſane et diuitiae ſequuntur. Sed quorſum diffuſa mea tendit oratio? Quid multa amplius teſtimonia probationesque? In Te potius SERENISSIME PRINCEPS, ex utroque Heros, Alter Auguſte: Vt et in TE EX REGIO SANGVINE ORIVNDAM PRINCIPEM WILHELMINAM mea ſe conuertit oratio. Vos Rempublicam condecoraſtis armis, atque armauiſtis legibus. VOS, ciuium ſalutem promouiſtis, qui inter iubila laetitiasque pro VESTRA ſalute Summum Numen ardentibus precibus adeunt quotidie: Vos literarum ſemper quaeſiuiſtis augmentum: Vos ita uiuitis, ut non per ciues ueſtra ſalus, ſed ueſtris ſub auſpiciis publicum quaeratur commodum. Accedite poſteri! Parentes inſtruite infantes, iisque iniungite, ut iterum ad poſteros transferant, quali Principe quali Auguſta Culmbacum ſplendeat. Sed quid uos adhortor, quos iam amor, pietas, ſubiectio, gratus animus inflammat, HEROEM NOSTRVM per omne aeuum duraturis exprimere monumentis: Sed quid exprimere, ubi debilitas uix primas adumbrabit lineas? Obteſtor uos, uelitis inter innumeras heroicas actiones et hanc enumerare, quod incluta noſtra Fridericiana, Erlanga noſtra, Cimelion Germaniae, tali PRINCIPI, qui amor patriae et inter exteras gentes audit, originem ſuam debeat: Et hoc aedificium ex Ejusdem clementia tanquam ex cornucopiae depromtum ſtet, floreat, duraturum ſit. O Principum Germanicorum decus FRIDERICE! et TV SERENISSIMA WILHELMINA ex regia ſtirpe oriunda! Sero in coelum redeatis, diuque interſitis populo! Summus rerum arbiter exaudiat Germaniae, VESTRORVM ſubditorum, caraeque noſtrae Fridericianae preces, quas imo ex corde pro Veſtra ſalute emittimus anxie: Conſeruet VOS ad ſummam usque ſenectutem; ſtabiliat haec fulcra, in quibus

ſtatus

Digitized by Google

ſtatus prouinciarum VESTRARVM, qui tot innumeris hominibus eſt in deliciis, repoſitus requieſcit: Conſeruet Vos incolumes, ut progenies multarum generationum ſub Veſtro regimine atque umbra aureum experiatur ſeculum. Conſeruet Vos et mihi deuotiſſimo Veſtro ſubiecto, Clementiſſimos Principes, quorum ſub tegmine et meae muſae, quantum earum permittit humilitas, ad prouectiorem emergant aetatem. Conſeruet DEVS uniuerſam Sereniſſimam domum ſaluam, in omne aeuum duraturam.

Tu quoque, Vir Perilluſtris, quamquam et ſcientia, et amor ſtudiorum, qui in Te eſt maximus, iam exteris ſatis innotuerit; aduerſus pietatem tamen honeſtatemque eſſem acturus, ſi publice hoc auditorium, hanc cathedram, has aedes inauguraturus meritorum Tuorum obliuiſcerer, quae in ſtabiliendam noſtram Fridericianam contuliſti. Taceamne? Neutiquam! Si enim tacerem, fama loquax et Tua merita, et meum ingratum animum, ad ultima terrarum foret prolatura. Tu Vir Perilluſtris! Tu, inquam, non proprii commodi, ſalutis tantum publicae, muſarumque cauſſa, diu noctesque laboraſti: Tu inuidiam, et inimicos, et hoc genus omne in fuga proſtrauiſti. Tu tanta priuilegia indefeſſa diligentia interpoſita procuraſti. Tu Clementiam SERENISSIMI PRINCIPIS Fridericianae noſtrae conciliare ſtuduiſti. Tu ipſe, quod maximum eſt, Directoris ut uocant munus Academiae noſtrae in Te ſuſcipere haud dedignatus es. Te ueneramur omnes. Te Mecoenatem colimus. Ad Tuum nutum actiones noſtras componimus. O! ſi ardentibus precibus ſummum Numen flectere poſſimus, ut annos tuos ad maiora Academiae noſtrae incrementa, perpetuet! O ſi ex annis, de ſanis noſtris artubus, cuiuis noſtrorum maximam partem Tibi conferre liceret; Ego ſane, Vir perilluſtris, non dubitarem Tibi concedere omnem. Certum tamen firmumque mihi perſuadeo, DEVM ter optimum maximum, cui id, quod inchoamus, quum in honorem eius fiat, diſplicere nequit, et Te per longum temporis tractum PRINCIPI, Prouinciae, Muſis, et mihi minimo clientum Tuorum fore conſeruaturum. Vos quoque, quibus cura iuuentutis

omniumque bonarum artium commiſſa eſt, oratione mea intactos relinquere pietati aduerſaretur debitae. Quamuis uero bene ſcio, quam flagranti cupidine et patriae, et ſtudioſae iuuentuti uelitis commodum; Nolite tamen mea, licet incondita uerba parui pendere: Semper uobis ſit ante oculos poſitum, quam graue uobis incumbat munus: Et Salus, et incommoda rerumpublicarum ueſtro ex ore pendent. Diſpergite itaque optimarum dogmatum ſemina, ut eo laetior meſſis uobis, et Germaniae exinde enaſcatur. Intendite omnes neruos et patriae, et reliquis populis, et ſtatui, et uerae Religioni conſtruere fulcra. Amore proſequimini iuuentutem: Imprudentis enim eſt ui exequi, quod amore euincere poteſt. Alligate uobis teneros illos ſurculos, ſucco optimarum artium imbuendos; Nunquam diuina gratia, ueris adita precibus ueſtris deerit laboribus. Tandem nunquam deſinatis ueſtro amore, quem ex uobis et ſpero, et iam expertus ſum maximum, me continuo proſequi, unanimis uiribus uobiscum ad extremum halitum pro ſalute Fridericianae noſtrae laboraturum.

Atque tu ſplendida et dulciſſima ſpe plena iuuentus: Te quando intueor an diligere an amare potius neſcio. Quid impedit, quo minus in ſinum CLEMENTISSIMI PRINCIPIS Patris Patriae Te conferas? Quid tardas? Accede libere! Vtere clementia PRINCIPIS, quem delicias generis humani uocant omnes; Quid ceſſas; Quaeris elegantiam loci? Vbi elegantiorem inuenies Erlanga noſtra? Quaeris abundantiam rerum uenalium? Accede, et inuenies, uili pro pretio ſane hic mercamur optima. Vis exercitia corporis? Adſunt. Vis linguas exteras? Diligenti non deerunt. Visne Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam, Matheſin, Philoſophiam? Pater patriae his omnibus clementer iam proſpexit. Accede lepida tu congregatio iuuenum; Humanitatem, amorem, diligentiam, emendationem, doctrinam exſpecta, atque tunc optimis ſcientiis ornata in patriam redi.

Accurrite undique terrarum: replete Erlangam noſtram: replete et hocce noſtrum inaugurandum auditorium: DEVS teroptimus maximus adnuat, ut opus, quod inchoamus, ad extrema ſeculi creſcat, floreat, duret.

Num.

Digitized by Google

No. XIV.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR
PROCANCELLARIVS DECANI ET RELIQVI PROFESSORES
S. P. D. LECTVRIS.

Quod hominum ſaepe conſiliis accidit, vt paullo aliter, quam auctores animo conceperant, ſoleant cadere, id laeti in praeſens experimur, dum nemine ſperante, immo nequidem cogitante, praeſagiente nemine, (ſi unicum excipias non obſcurae virum famae, qui in deſcribenda vrbe Erlanga viſus eſt rem tantam praedixiſſe,) factum eſt, vt introducendam propediem in hanc vrbem ſcholam publicam, quam Vniuerſitatem maiores nuncuparunt, omnis ordinis lectori denunciare queamus. DEO in primis TER OPTIMO MAXIMO debemus tale et tam inſigne beneficium. Sunt enim ſcholae et eccleſiae, cuius auctor rectorque ipſe DEVS eſt, per ſe inſeparabiliter connexae, adeo vt ſcholae pars ſint eccleſiae pretioſiſſima, quippe quae diuina illi adiunctae auctoritate fuere, neque diuelli vnquam ab ea debent, niſi, ſeiunctis ſcholis et extinctis litteris, coeleſtis etiam veritatis lux ſimul extinguatur. Sed haec cogitare vnicuique in promtu eſt, nos dicere et noſtra voce proclamare, ſuperuacaneum iudicare poſſet. Id vero tacere nefas putamus, diuinitus et excitatum et confirmatum animum fuiſſe optimi et ſapientiſſimi PRINCIPIS noſtri ac Domini, Domini

FRIDERICI MARGGRAVII BRANDENBVRGICI Boruſſiae Sileſiae Ducis, cetera, cetera, vt Baruthi Academiam primam excitaret, collegiumque eorum conſtitueret, qui doctis in ea operationibus praeeſſent et doctrinas ſalutares traderent, deinde optaret vnice, inque illud tota mente incumberet, vt ſtatutis Caeſareis firmaretur Academia, nihilque adeo deeſſet, quod deſiderari in tanto negotio ab intelligentibus harum rerum queat. Ingens votum! cuius vt damnetur bonus patriae Pater, indulgentiſſimum ſe praebuit AVGVSTISSIMVS CAROLVS VII. CVI pro tanta Clementia DEVS ſumma omnia retribuat, ut, quemadmodum virtutis omnis, ita et felicitatis ſingularis exemplum poſteritati ſit. Adſunt igitur, atque publice praelegentur, in ſolemnitate inaugurationis priuilegia Caeſarea, quibus Athenae noſtrae in idem collocatae ſunt dignitatis faſtigium, quo celebratiſſimae per Germaniam Academiae ſplendent. Quo loco illud etiam commemorandum eſſe cenſemus, fuiſſe, qui arduae huic rei inprimis operam nauauit, illiusque conſtitutionem apud PRINCIPEM noſtrum mirifice adiuuit, Vniuerſitatis Directorem ac Cancellarium Perilluſtrem DANIELEM de SVPERVILLE, Sereniſſimi Marggrauii noſtri a conſiliis intimis, cuius animo ad hanc rem plane incitato atque commoto, ſupremum Numen ad ſuperandos tot labores, pares addat corporis uires, ut diu ad clauum ſedeat, uideatque ne quid res publica haec litteraria olim detrimenti capiat. Quae quum ita ſint, gratulabitur, quicunque rem ſuo merito metitur, de perfecto hoc feliciter opere Conditori atque Rectori Vniuerſitatis MAGNIFICENTISSIMO, SERENISSIMO FRIDERICO noſtro, gratulabitur illi et praeſens aetas, et grata, ſi modo futura eſt, poſteritas. O vtinam! ſciret GEORGIVS FRIDERICVS, et reliqui Brandenburgici Heroes, qui liberalitate in Muſas omnes ſui Temporis Principes iudicantur ſuperaſſe, o vtinam! ſcirent poſt nonnulla temporum interualla e ſcholis harum regionum tot Gymnaſia, e Gymnaſiis Academiam, ex Academia Vniuerſitatem ortam,

ortam, remque ſcholaſticam in his terris tantopere eſſe au-ctam atque amplificatam, quot quaeſo gratulationibus, quanto adplauſu Sereniſſimum FRIDERICVM proſequerentur? Quum vero inuitationi, non laudationibus, haec deſtinata ſcriptio ſit: ſignificatur ex hac tabula, publicoue FRIDERICIANAE nomine, ſollemnem inaugurationis ſuae actum, prout PRINCIPIS iam mandatum declarauit, IV. futuri menſis Nouembris die, in templo huius vrbis, propitio fauente numine, celebratum iri. Confluite ſummi, medii, infimi, incolae, exteri, ciues, hoſpites, & quicunque nobis non inuidetis honeſtam laetitiam, videte, quibus caeremoniis conſecrabitur noua Academia, non autem curioſos tantum agite ſpectatores, verum commendate DEO Patri Domini noſtri IESV CHRISTI rem ſcholaſticam, vt nouum hoc opus in eccleſiae atque ſocietatis humanae ſalutarem vſum dirigatur, gubernetur, proueh atur, cuſtodiatur & conſeruetur. Erlangae

P. P. Dom. XIX. poſt Trin. cIↃ IↃ cc XLIII.

Digitized by Google

No. XV.

LITERAE INVITATORIAE, IENAM, ALTORFIVM, LIPSIAMQVE MISSAE.

Magnifice Domine Rector,
(Pro-Rector)

Viri Summe Reuerendi, Illuſtres atque Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimi

Fautores atque Amici Honoratiſſimi,

Quod famae rumoribus perlatum iam ad Vos eſſe, aut alia fortaſſis ratione innotuiſſe, cenſemus, ſcilicet, Academiam noſtram, anno abhinc, & quod excurrit, a Sereniſſimo FRIDERICO, Marggrauio Brandenburgi &c. Byruthi primum fundatam, poſt ea, adeptis ab Imperatore Auguſto priuilegiis ampliſſimis, hic, tamquam in tutiori loco collocatam, IIII. Nouembris, qui inſtat, die ſacris ſolemnibusque caerimoiis initiatum iri: id hiſce nunc literis notum Vobis fieri atque declarari, iuſtum legitimumque duximus. Veſtram, Viri Summe Reuerendi, Illuſtres & Excellentiſſimi, beneuolentiam noſtrates, quoad Veſtro ductu in literarum ſtudia incumberent, ſumma cum uoluptate ſemper

per experti ſunt: quapropter eo magis ſperamus, & certe confidimus, Vos naſcenti noſtrae Vniuerſitati fauorem amoremque ſocialem haud denegaturos fore, eaque fiducia freti, Vos, Viri Summe Reuerendi, Illuſtres atque Excellentiſſimi, rogamus atque obteſtamur, ut ex celeberrima Veſtra Vniuerſitate ablegetis unum atque alterum, qui laetis noſtris ſolemnibus, Sereniſſimi Marggrauii iuſſu, die conſtituto, inchoandis, interſint, eaque ſua praeſentia ſplendidiora reddant, & quibus nos uiciſſim animum, ad amicitiae amorisque officia paratiſſimum, praeſentibus explicare poſſimus. Hoc iterum amice flagitantes, amoris beneuolentiaeque documentum a Vobis expectamus, Academiae Veſtrae ſalutem atque ſplendorem in dies maiorem optamus, & pro Veſtra incolumitate integra mente uota ferimus continua

Magnifici, Summe Reuerendorum, Illuſtrium atque Excellentiſſimorum Veſtrorum Nominum

Erlangae,
Kal. Octobr. CIↃ IↃ CCXXXXIII.

Cultores conſtantes
Pro-Rector, Pro-Cancellarius, Decani & reliqui Profeſſores Academiae Fridericianae Erlangenſis.

In tergo

Viris Magnifico, Summe Reuerendis, Illuſtribus atque Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimis, Academiae Ienenſis, (Lipſienſis, Altorfienſis) Pro-Rectori (Rectori) & reliquis Profeſſoribus.

Ienam.

Digitized by Google

EXEMPLVM LITERARVM HALAM, INGOLSTADIVM, TVBINGAM, WIRCEBVRGVM, ET GOETTINGAM MISSARVM.

Magnifice Academiae Pro-Rector,

Viri Perilluſtres,
Magnifici, Illuſtres,
Summe Reuerendi,
Praenobiliſſimi, Iurisconſultiſſimi, Experientiſſimi, Excellentiſſimi,
Fautores atque Amici Honorasiſſimi!

Quas ad Vos, Viri Perilluſtres Summe Reuerendi atque Excellentiſſimi, literas non conſuetudo, ſed internus amor, iam nunc dare iubet, primae ſunt, eoque iucundiori animo compoſitae, quo nobis de ſororio academiae vinculo & amicitia veſtra gratulari poſſumus. Expectamus hoc ſignum favoris maxima cum ſpe a Vobis, cum in eo ſimus, ut Academia noſtra, ſedes pietatis & arx diſciplinarum honeſtarum futura, priuilegiis Caeſareis atque Principis noſtri clementiſſimi pia mente ornata, quo ſuus non deeſſet ſplendor, ſolemni ritu Erlangae inaugurari Deoque T. O. M. dedicari confirmarique debeat: Iuſſu enim Principis atque Marchionis noſtri Sereniſſimi dies eſt IIII. Novembris an. curr. quo ſolemnia inangurationis initium capere debent.

Digitized by Google

Si itaque Vobis, Viri Perilluſtres, ſumme Reuerendi, atque Excellentiſſimi, graue & impedimento non ſit, petimus, & ſi licet, per genium veſtrum, quam humaniſſime, vt per eos, qui ex gremio veſtro ſunt, quos laetamur aduentu ſuſpiratiſſimo, huic actui ſolemniori intereſſe & de benigno in nos animo non ſolum nos certiores facere velitis, ſed & honorifica praeſentia, ſolemnibus, quae meditamur, ſplendorem maiorem conciliare haut grauemini.

Noſtrum erit, vt hanc teſſeram amicitiae & fauoris ſingularis in aeternum ſeruemus, Deum precantes, vt Vos Veſtramque Academiam praeſtet incolumes ſeruetque in emolumentum reipublicae literariae. Datum Erlangae d. XXIIII. Septembr. MDCCXLIII.

Illuſtrium Nominum Veſtrorum

perpetui Cultores

Pro-Rector, Pro-Cancellarius, Decani & reliqui Profeſſores Academiae Fridericianae Erlangenſis.

In tergo

Viris Perilluſtribus, Magnificis, Illuſtribus, Summe Reuerendis, Praenobiliſſimis, Iuris Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Excellentiſſimis, Pro-Rectori, Directori, Vice-Cancellario reliquisque Profeſſoribus in Academia Fridericiana Halenſi.

Halae.

Digitized by Google

No. XV.

LITERAE GRATVLATORIAE, PRO RATIONE TEMPORIS, QVO REDDITAE SVNT, COLLOCATAE.

I.

Magnifice Academiae Rector,

Viri Perilluſtres, maxime Honorandi, Præno-biles, Clariſſimi, Expertiſſimi, Conſultiſſimi, Excellentiſſimique

Fautores atque Amici Honoratiſſimi,

Invitatorias Veſtras ad Inaugurationem novae Vniverſitatis Erlangenſis cum gaudio accepimus, quas legimus libentiſſimè, pleniſſimas amoris, humanitatis, officii. Magni enim videbatur intereſſe ad eam conſuetudinem, quam nobis ſors tribuiſſet, amorem quoque internum acceſſiſſe. Noſtra proinde reciproca in Vos ſumma neceſſitudinis officia conſtabunt. Itaque nobis proponimus fructum amicitiae noſtrae, ipſam amicitiam, quâ nihil eſt uberius praeſertim in iis ſtudiis, quibus utrimque devincti ſumus, Vobis enim nos profitemur & in Republica literaria ſocios, de qua idem ſentimus; & in quotidiana vita Vicinos conjunctósque cum iis artibus ac ſtudiis, quæ colimus. Meritò igitur gratulationem, quam hiſce

impen-

impendimus, à nobis exſpectatis, ſcimus enim ea, quæ pro re literaria die 4. Novembris coepturi eſtis, Orbis terræ iudicio ac teſtimonio comprobari, quam primam plantationem Apollo rigare, Deus autem incrementum dare velit, noſtrique officii ratio poſtulabit, ut ſi poſſibile ſit, & aliunde præpediti non fuerimus, præſentia unius aut alterius ex Collegiis noſtris, in omnibus ſatis noſtræ conjunctioni, amori, ſororióque affectui faciamus

Illuſtrium Nominum Veſtrorum

datum Herbipoli die 9. Octobris 1743.

perpetui Cultores

Rector, Decani, DD. ac Profeſſores Vniverſitatis Würceburgenſis.

In tergo

Magnificis, Praenobilibus, Clariſſimis Conſultiſſimis, Expertiſſimis, Subtiliſſimis, Ampliſſimisque, Pro-Rectori, Pro-Cancellario, Decanis & reliquis Profeſſoribus Academiae Fridericianae Erlangenſis: Dominis Fautoribus & Amicis noſtris colendiſſimis

Erlangæ.

Digitized by Google

II.

Magnifice Academiae Pro-Rector,

Splendidiſſime Pro-Cancellarie,
Decani Grauiſſimi & Spectatiſſimi,
Viri Summe Reuerendi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi atque Excellentiſſimi,

Fautores atque Amici Honoratiſſimi!

Quod ab atiquo tempore iam nobis innotuerat, Sereniſſimum Marggrauium Brandenburgico-Culmbacenſem, Dominum FRIDERICVM, Principem longe Clementiſſimum, eximia ac ſingularia Domus Brandenburgicae, in optimas litteras promerita, laudatiſſimo ſtudio adaugere, atque de noua Vniuerſitate litteraria, Erlangae conſtituta, & propediem ſacro ſolemnique ritu dedicanda, maximopere ſollicitum eſſe: illud litterae VESTRAE, VIRI EXCELLENTISSIMI, nuperis Calendis Octobr. ad nos perſcriptae, omnisque beneuolentiae, amoris, & humanitatis pleniſſimae, ſatis ſuperque nobis confirmarunt. Perſpeximus ex iisdem, non ſine magna animi iucunditate, Academiam VESTRAM FRIDERICIANAM quae SERENISSIMI FVNDATORIS SVI nomen induit, Byruthi primo fundatam, deinde impetratis, ab Imperatore Auguſto, ampliſſimis priuilegiis, Erlangae, tanquam in tutiori loco collocatam, cum eximia INDVLGENTISSIMI PRINCIPIS munificentia, tum ſingulari VESTRA AMPLISSIMI PATRES, induſtria, nunc eo prouectam eſſe, vt IIII. Nouembris, qui inſtat, die, ſacris ſolemnibusque caeremoniis, ſit initianda. Cui inaugurationi

Digitized by Google

tioni ſolemni, quanquam nemo ex ordine noſtro intereſſe, VOBISque, FAVTORES atque AMICI HONORATISSIMI, coram declarare poſſit, quanto nos amore et VOS, et VESTRAM FRIDERICIANAM iure, meritoque proſequamur: abſentes tamen hoc ipſo pietatis officio certiſſime perfungemur, DEOque IMMORTALI, Academiarum omnium ſtatori et cuſtodi optimo maximo, deuota mente ſupplicabimus, vt hoc ſacrum ſolemne, quod adparatis, auſpicatiſſimum, omnique ex parte felix et fortunatum eſſe iubeat, atque Academiae VESTRAE FRIDERICIANAE noua in dies incrementa, atque ornamenta, immo florem perpetuum clementiſſime concedat. Quod reliquum eſt, ſancte VOBIS confirmamus, PROFESSORES EXCELLENTISSIMI, nos, inſignem illam humanitatem atque beneuolentiam VESTRAM, qua amorem noſtrum, Veſtratibus ſubinde a nobis demonſtratum, prolixe excepiſtis, Academiae noſtrae ſalutem atque ſplendorem in dies maiorem ex animo optaſtis, et pro noſtra incolumitate vota continua ſincere promiſiſtis, gratiſſima mente, non tantum nunc agnoſcere, ſemperque agnituros eſſe, ſed etiam iisdem virtutibus quoque VESTRIS prouocatos, in eo nunquam non certiſſime elaboraturos, vt easdem nouis ſubinde officiis, VOBIS ac VESTRATIBVS, a nobis lubentiſſime praeſtandis, nouisque ardentiſſimis votis pro ſalute VESTRAE nouae Muſarum ſedis, et pro VESTRA incolumitate perpetuo nuncupandis, viciſſim demereri poſſimus. Ita valete ex animi ſententia, VIRI EXCELLENTISSIMI, resque VESTRAS, in SVMMI NVMINIS honorem, in Eccleſiae ſalutem,

Digitized by Google

et in reipublicae ciuilis ac litterariae emolumentum, ſemper agite quam feliciſſie! Iterum ualete

Excellentiſſimorum Nominum Veſtrorum

Scrib. Lipſiae d. XXVIII. Octobris.
A. R. G. CIↃIↃCCXLIII.

Cultores perpetui,
Rector et reliqui Academiae
Lipſienſis Profeſſores.

In Tergo.

Viris Magnifico, Summe Reuerendis, Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis atque Excellentiſſimis ProRectori, Pro-Cancellario, Decanis, Doctoribus et reliquis Profeſſoribus Vniuerſitatis Fridericianae Erlangenſis

Fautoribus atque Amicis noſtris
honoratiſſimis.

Erlangam.

III.

Magnifice Academiae Prorector,
itemque Procancellarie,
Viri Summe Reuerendi, Iuriſconſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi Excellentiſſimique,

Fautores atque Amici honoratiſſimi,

Redditae nobis ſunt literae humanitatis pleniſſimae, quibus inclutae Academiae veſtrae, pridie proximas Nonas Nouembres inaugurandae, ſolennia nobis non ſolum amice ſignificaſtis; ſed ad horum celebritatem nos etiam

Digitized by Google

etiam perquam beneuole inuitaſtis. Quanto autem praeſtantiora commoda atque ornamenta ex bonis artibus literisque in rem publicam redundant : tanto magis ad felicitatem temporum, gloriamque totius Germaniae, pertinere exiſtimamus, ſi huiusmodi publica ſapientiae ac uirtutum ſacraria diuino beneficio non tantum iam condita conſeruantur, ſed etiam noua auſpicato exſurgunt. Quemadmodum igitur tam luculentam veſtrae erga nos beneuolentiae teſtificationem gratis agnoſcimus animis, ac, cum vicinitatis, tum communis literarum amoris cauſſa, lubentes meritoque in partem laetitiae et felicitatis ueſtrae uenimus: ita ex ordine noſtro duos deligemus collegas nobis coniunctiſſimos, qui noſtro omnium nomine veſtrorum auſpicalium ſacrorum pompae interſint, vt gratulandi munere perfungantur, ac ſigillatim SERENISSIMI PRINCIPIS FRIDERICI, Marchionis Brandenbvrgensis, Dvcis Prvssiae, ac reliqva, Amplificatoris rei literariae gloriosissimi, atqve avctoris et nvtritoris vestratis Academiae indvlgentissimi, ſingularem et inuſitatam munificentiam demiſſiſſimo cultu venerentur, veſtrarumque Muſarum domicilii auſpicium pia laetaque acclamatione excipiant, item et animum noſtrum VOBIS deditiſſimum, ſtudiumque perpetuum, copioſius exponant. Quod reliquum eſt, Viri maximopere venerandi et illvstres, impenſiſſime optamus, vouemusque, vt fauente DEO IMMORTALI, iſta ſolennia laeti fortunatique agatis, veſtraeque Academiae felicitatem proſperrimo ſucceſſu ad ſeriſſimam transmittatis poſteritatem, ac ſimul meritorum no-

minumque veſtrorum memoriam ad omnia ſaecula futura propagetis. Valete.

Illuſtrium Celeberrimorumque Nominum Veſtrorum

Dab. Altorfii 17. Calend. Nouemb.
A. S. R. CIↃIↃCCXXXXIII.

Cultores perpetui
Rector et Profeſſores Vniuerſitatis Altorfinae.

In Tergo.

Viris, Magnifico, Summe Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque PRORECTORI, PROCANCELLARIO, DECANIS, ceterisque PROFESSORIBVS inclutae Vniuerſitatis Fridericianae Erlangenſis,

Dominis, Fautoribus, et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Erlangam.

Digitized by Google

IV.

Magnifice Domine Prorector,
et Domine Procancellarie,
Viri Summe Reuerendi, Iuriſconſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi Excellentiſſimique,

Fautores atque Amici honoratiſſimi,

Quod fama et auditione toties accepimus, ad tantum ACADEMIAM VESTRAM, Diuinis potiſſimum auſpiciis, tum vero etiam ſapientiſſima SERENISSIMI PRINCIPIS Veſtri cogitatione, nouiſſime conditam aſſurrexiſſe faſtigium, ut ſolemni, quam vocant, inauguratione ſummam coronidem ſingulis diebus expectet; id ipſum VESTRIS quoque, VIRI OMNIVM ORDINVM EXCELLENTISSIMI, humaniſſimis ad nos datis literis, per hosce dies, non ſine intimo laetabundi animi ſenſu uſurpauimus. Gratulamur ante omnia, ſi quidem licet et fas eſt, CLEMENTISSIMO VESTRO PRINCIPI ac DOMINO fortunatiſſimo tam ſplendidi operis Authori, Parenti atque Conditori, qui illuſtri hoc ſapientiae ſuae, nec minus munificentiae plane ſingularis, ſpecimine, nouo ſcilicet Muſarum receptaculo, monumentum exſtruxit aere perennius, atque immortalem Nominis famam non in uniuerſo tantum orbe literario, ſed et apud prudentes quoscunque rerum aeſtimatores, ad ſeram uſque poſteritatem ſibi peperit, nulla unquam temporis vetuſtate abolendam. Gratulamur etiam VOBIS, VIRI EXCELLENTISSIMI, quorum inſignem coronam illuc attraxit et loci amoenitas, et erudita SERENISSIMI MARCHIONIS liberalitas, et ipſa denique ſapientiſſimi inſtituti ratio, id unicum nunc anhelanti-

Digitized by Google

bus, ut abſolutis publicae ſolennitatis ritibus plucras eruditionis veſtrae merces explicare, inque formandis Studioſorum animis prima dexteritatis veſtrae ſpecimina edere propediem Vobis liceat. Gratulamur denique ipſi ſtudioſae iuuentuti, veſtra ſub inſtitutione in omni literarum genere erudiendae, poliendae, ornandae, talesque in vobis Daduchos nactae, quorum ſub ſolido moderamine in regio ſtudiorum virtutumque tramite inoffenſo pede decurrere pulcrum ſibi ducet et glorioſum. Inuitationem, qua dignari nos voluiſtis, perquam nobis honorificam, ad augendum eorum numerum, qui in partem laetitiae Vobiscum venient, ſine decentiſſima grati animi teſtificatione dimittere nefas ducimus; et quam vellemus, vt humanitati veſtrae ipſo facto reſpondere, plauſus noſtros cum veſtris coniungere, veſtrisque deſideriis, ſatis quod eſt, facere, liberum nobis eſſet atque integrum: Aſt prohibemur, quod grauiter dolemus, coeli intemperie, aëris inclementia, indies, vt videtur, magis exaſperanda, pluuiarum frequentia ac pertinacia, curto lucis diurnae ſpatio, locorum inſuper diſtantia, hincque exſurgente mira impediti itineris moleſtia; vt iam non commemoremus Actum Magiſterialem, biduo poſt veſtram panegyrin a nobismet ipſis celebrandum. Enimuero ita comparata eſſe haec paucula exiſtimamus, vt facilem a Vobis veniam impetrare queamus, nulli dubitantes, Vos hisce noſtris rationibus, uno faſce colligatis, patulas aures praebituros, neque nihil prorſus valoris tributuros. Quod autem fieri non poteſt corporis praeſentia, fiet ſane tacito animorum conſenſu atque concentu; cumque inter vota ac deſideria nobis hactenus ſubſiſtendum ſit, in pectore Vobiscum laetabimur, diem Vobis tam glorioſum, nec minus orbi erudito proficuum, albo ſignaturi lapillo, DEVMque rogaturi, vt egregiis veſtris conatibus porro annuat, Muſas veſtras, auerruncatis omnibus tumul-

tumultibus bellicis, alta pace frui iubeat, atque Athenaeum Erlangenſe, ſororio vinculo cum noſtro connexum, in omni flore quam diutiſſime conſeruet. Declarauimus hanc mentem noſtram Carmine etiam latino, literarum praeſentium ſocio, quod, vt beneuole ſuſcipiatis nobisque fauere peragitis, eſt, quod omnibus votis contendimus.

Excellentiſſimorum Nominum Veſtrorum

Dat. Tubingae d. XXV. Octobris.
A. R. G. CIƆIƆCCXLIII.

Obſeruantiſſimi Cultores,
Rector, Cancellarius, Doctores
et Regentes Vniuerſitatis
Tubingenſis.

In Tergo.

Viris Magnificis, Summe Reuerendis, Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimis Dnn. PRORECTORI, PROCANCELLARIO, DECANIS, et reliquis PROFESSORIBVS Academiae Fridericianae Erlangenſis,

Dominis, Fautoribus, et Amicis noſtris
honoratiſſimis.

Erlangam.



Digitized by Google

V.

Magnifice Academiae Proreſtor,

Perilluſtris Domine Procancellarie,

Viri ſumme Reuerendi, Illuſtres, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimi,

Perlatae ſunt ad nos literae VESTRAE, amantiſſime ſcriptae, quibus ſanctiſſimum bonarum artium, omnisque liberalis diſciplinae domicilium, quod Berythi primum SERENISSIMVS PRINCEPS, FRIDERICVS, MARGGRAVIVS BRANDENBVRGICVS, Muſis dedicauit, iam Erlangae proxime venturo die IV. Nouembris fauſtis auſpiciis, et ſolemnibus de more caerimoniis conſecratum iri, nobis ſignificaſtis. Nihil eo gratius quum nobis quidquam accidere potuiſſet, eo quod praeclaram in nos VESTRAM voluntatem atque amorem luculenter declarauit: non poſſumus, quin pro eo, ac par eſt, grata illud mente agnoſcamus. Quo magis vero ſanctioris coetus dignitas, et reipublicae ornamenta, conditis virtutis doctrinaeque melioris officinis, amplificantur, quo certius his veluti praeſidiis et propugnaculis communis ſalutis decus conſeruatur: eo impenſius gaudemus, nobiliſſimum Athenaeum, tamquam certiſſimum Palladium, SERENISSIMVM MARGGRAVIVM FRIDERICVM in terras ſuas intuliſſe, eoque gloriam ſuam, aeterna florentem laude, mirifice auxiſſe. Quod igitur boni omnes faciunt, noſtrumque poſtulat officium, laeti VOBIS, VIRI SVMME REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, gratulationem plauſu maximo ſignificamus, votisque pro literarum flore ſuſceptis,

ptis, precamur, vt ſummus rerum humanarum arbiter, Academiarum ſtator, cum SERENISSIMI PRINCIPIS conſilia feliciter euenire iubeat, tum optatis et conatibus VESTRIS laetiſſimus reſpondeat euentus, quo Academia VESTRA multis in rem literariam meritis celebretur, et numquam non nouis cumulata acceſſionibus, maiorem in dies ſplendorem obtineat, eumque ad poſteritatem proferat. Sic vouemus, qui omnem operam ac ſtudium, omniaque amoris officia, quae VOBIS vtilia eſſe queunt, VOBIS pollicemur, amicitiamque ſancte ſemper colemus.

Magnifici Perilluſtris Summe Reuerendorum Illuſtrium atque Excellentiſſimorum Veſtrorum Nominum

Ienae, VII. Calend. Nouemb.
A. S. R. CIƆIƆCCXXXXIII.

perpetui Cultores
Prorector et reliqui Profeſſores
Academiae Ienenſis.

In Tergo.

Viris Magnifico, Perilluſtri, Summe Reuerendis, Illuſtribus atque Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimis Academiae Fridericianae Erlangenſis Pro-Rectori, Pro-Cancellario, et reliquis Profeſſoribus.

Dominis Fautoribus atque Amicis
noſtris honoratiſſimis.

Erlangam.

Digitized by Google

VI.

Magnifice Academiae Prorector,

Viri Plurimum Honorandi, Iuriſconſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimique, Amici, et Fautores Chariſſimi,

Magna animi voluptate ex datis ad nos humaniſſimis literis percepimus, VIRI CLARISSIMI, inaugurationis ſolennitatem Academiae veſtrae Erlangenſis, priuilegiis Caeſareis ornatae, atque PRINCIPIS veſtri CLEMENTISSIMI pia mente fundatae, iam felici ſydere imminere. Equidem perlubenter venimus in partem laetitiae veſtrae, cuius non ſolum indigenas, ſed etiam extraneos participes eſſe peramice voluiſtis. Quin adeo ſpeciali nos honoris non minus, quam beneuolentiae ſignificatione affectos reputamus, quod ſolennis inaugurationis certiores nos reddere, ad eamque perofficioſe inuitare non intermiſeritis. Pro quo proin erga nos ſtudio veſtro, quas par eſt, gratias unanimi voluntatum conſenſu habemus, agimusque. Etenim ex hac veſtra in nos officioſa humanitate luculenter nobis patuit, inclytam Academiam Erlangenſem non tantum communi litterarum altiorum cognatione, ſed etiam (quod iure merito permagni aeſtimamus) beneuolo animorum affectu Vniuerſitati noſtrae eſſe coniunctam.

Quare ſinceris viciſſim animis gratulamur vobis, quod inaugurationis ſolennitas iuſſu SERENISSIMI PRINCIPIS veſtri die vere myſtico, vtpote Diuo Carolo Sacro, et onomaſtico Auguſtiſſimi Imperatoris noſtri CAROLI VII. inchoanda ſit, cuius non tantum principium precamur feliciſſimum, ſed nouas indeſinenter fauſtiſſimi curſus reuolutiones

tiones, per quas DEVS benigniſſimus conſeruet Academiam veſtram in emolumentum literariae Reipublicae.

Caeterum quod unius alicuius e noſtris praeſentiam peramice petiiſtis, qui almae Academiae huiatis nomine, celeberrimae veſtrae ſolennitati interſit, ſicuti id peculiaris beneuolentiae loco comprimis habemus, ita dolemus, quod hac in parte petitioni veſtrae obſecundare non ſit integrum, etenim circumſtantiae temporis, et anni ſcholaſtici inchoati non permittunt, vt Nos functionibus et ſtudiis noſtris vel ad tempus ſubtrahamus.

Quare veniam a VOBIS, ſperamus VIRI CLARISSIMI, ſi unius e nobis abſentiam compenſare ſtudeant ſinguli, qui et veſtrae erga nos beneuolentiae memoriam conſeruabunt perpetuam; reciprocis vero erga vos, ac inclytam Academiam veſtram officiis, prout vires et occaſio tulerint, nunquam ſunt defuturi. Valete!

Datum Ingolſtadii,
die 28va Octob. 1743.

Clariſſimarum Dominationum Veſtrarum

Amici et Fautores
ſinceri et obſtricti,
Rector, Procancellarius, Decani,
D. D. et Profeſſores Vniuerſitatis ibidem.

In Tergo.

Viris Magnifico, Plurimum Venerandis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque Prorectori, Procancellario, Decanis, Doctoribus et Profeſſoribus inclytae Academiae Fridericianae Erlangenſis.

Amicis et Fautoribus noſtris Chariſſimis.

Erlangae.

Digitized by Google

VII.

Magnifice Academiae Prorector,
Illuſtris Procancellarie,
Viri Summe Reuerendi, Iuriſconſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi Excellentiſſimique,

Fautores atque Amici honoratiſſimi,

Quem nobis honorem habere decreuiſtis, vt ad inauguralia nos ſacra Academiae vestrae animo prolixo verbis honorificentiſſimis inuitaretis, cum nobis honorem iucundum atque gratum eſſe, ipſe vos veſter ſenſus, Viros humaniſſimos, admonebit.

Ac ſi voluntati noſtrae ſatis in praeſenti facultas reſponderet, has vobis literas unus itemque alter de Collegio noſtro legati traderent, teſtes fautoresque auſpiciorum veſtrorum futuri, et gratulationem noſtram coram, veſtro in Conſiſtorio perlaturi. Sed intercedunt ſtudiis hac in re noſtris tum temporis ratio, quod in ipſam inſtaurationem praelectionum incidit, tum alia, quae apud vos commemorari nihil attinet.

Quae cum ita ſint, aegre non feretis, literis hisce mandari gratulationem noſtram, qua gloriam DEI, incrementa omnis virtutis, honorem literarum, felicitatem patriae veſtrae, veſtra commoda, cum ipſa iuuentutis, cui proprie munus illud deſtinauit SERENISSIMI PRINCIPIS veſtri liberalitas, educatione, veſtrae fidei doctrinaeque credita, coniunctam eſſe nunc et omnibus ſaeculis, ſerio et ex animi noſtri ſententia comprecamur. Faueat Academiae

Digitized by Google

demiae veſtrae DEVS, et auſpiciis illam feliciſſimis inaugurari dedicarique ad omnem felicitatem iubeat.

Magnifici Clariſſimorumque Nominum Veſtrorum

Gottingae a. d. XXIII. Octobris.
A. R. G. CIƆIƆCCXLIII.

perquam ſtudioſi

Prorector, et Profeſſores Academiae Georgiae Auguſtae.

Ioann. Matthias Geſnerus, mpp.

In Tergo.

Viris Magnifico, Summe Reuerendis, Illuſtribus, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimis, PRORECTORI, PROCANCELLARIO, DECANIS, DOCTORIBVS, et reliquis PROFESSORIBVS Academiae Fridericianae Erlangenſis,

Fautoribus noſtris, et Amicis honoratiſſimis.

Erlangae.

Digitized by Google

VIII.

Magnifico Academiae Fridericianae Erlangenſis Prorectori,

Illuſtri eiusdem Procancellario,

Reliquisque Viris ſumme Reuerendis, Iuris doctrina, Medicinae ſcientia, bonarumque artium ac Diſciplinarum liberalium gloria Excellentiſſimis,

Fautoribus atque Amicis ſuis ſingulari honore colendis,

Prorector, Director, Cancellarius caeterique Fridericianae Regiae Halenſis Profeſſores,

S. P. D.

Nihil accidere nobis iucundius potuiſſet illo nuncio, quod VESTRAE ad nos tulerunt primae litterae, quibus ſignificabatis id iam agi, vt SERENISSIMI ac CELSISSIMI PRINCIPIS ac MARCHIONIS BRANDENBVRGICI auſpiciis, die IV. Nouemb. in publicum producatur et decorae inaugurationis ſolemni pompa dedicetur Academia VESTRA, Caeſareis priuilegiis munita et PRINCIPIS nutritoris munificentia plurimisque beneficiis ornatiſſima. Sane quam, pro eo ac decuit, alacriter gratulati ſumus et SERENISSIMO PRINCIPI, qui virtutum ſuarum atque pietatis tam inſigne monumentum ſibi erexit; et urbi celeberrimae, quae prioribus ornamentis ſuis ſummum nunc illud addit, vt ſedes pietatis, ſeminarium reipublicae, et arx ac perfugium liberalium artium honeſta-

rumque

Digitized by Google

rumque diſciplinarum futura ſit. Si non exiguas rationes antiquiſſimo aeuo conditae urbes habuerunt, cur nouos faſtos ordirentur, annosque ſupputandi initium inde caperent, ex quo colonis vel ex Seleucidarum regum exercitu, vel deinde ex Romanorum legionibus mactae fuerunt; quanto iuſtius vrbs VESTRA, quae ſummam munificentiam CHRISTIANI ERNESTI, nomine ab ipſo adſumto, pridem teſtata eſt, nunc SERENISSIMI FRIDERICI, tamquam Herculis muſarum, memoriam omni aeuo commendabit, et ab nouo hoc ſui incrementi initio annos numerabit, luſtra condet, ſaecula computabit, cumque omni choro pias muſas obſeruantium atque colentium tam inſignis beneficii magnitudinem concelebrabit. VOBIS autem, Viri magnifici, illuſtres et excellentiſſimi, quos ſummi Numinis prouidentia et perfectiſſimi PRINCIPIS iudicium primos nouae Academiae patres elegit, et ornatiſſimis cerimoniis his diebus produxit, gratulamur hunc honorem, atque vt ſuam quisque virilem partem per complures annos tueatur, ornatiſſimamque reddat, quam nactus eſt, prouinciam, ex toto animo apprecamur. Felici exornentur ſucceſſu cuiusque veſtrum labores et conſilia, quibus puram religionem ſancte tueri et ad poſteros illibatam propagare annitemini; iuſtitiae aequiſſimas rationes explicare et lites componere deſudabitis; mala, quae mortalium valetudinem impetunt, propulſare conabimini, vt incolumitatis praeſidia undiquaque firmentur: quibus denique efficietis, vt rerum diuinarum ac humanarum ſolida cognitio incrementa capiat, bonaeque ac liberales artes, omneque ſcientiarum vitae vtilitatem aut iucunditatem afferentium genus, laetius efflorescat, horrida autem et tetrica barbaries a finibus noſtris perpetuo exſulet. Haec pia ſunt vota, quibus pro ſe quisque, atque uniuerſi nouam Academiam proſequimur: quorum interpretem, qui VOBIS amicitiam atque obſequium noſtrum coram declararet, miſſuri eramus, niſi graues cauſae interceſſiſſent conſilio atque vo-

luntati paratiſſimae. Quod reliquum eſt, rogamus vos, ita velitis perſuaſum de nobis habere, quod ſalute ac incrementis VESTRIS ſimus gauiſuri, nec Fridericiana noſtra vlli Academiae conceſſura ſit, vt maiorem delectationis fructum ex felicitate VESTRAE Fridericianae capiat, aut promptiori obſequio adſit, ſi quidquam fuerit, quo VOBIS officiis noſtris inſeruire queamus.

Halae Magdeburgicae, die X. Nouemb.
CIƆIƆCCXXXXIII.

Martinus Schmeizel,
Proretor mpp.

In Tergo.

Viris Magnifico, Maxime Reuerendis, Iuriſconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque Prorectori, Procancellario, caeterisque Profeſſoribus inclytae Academiae Fridericianae Erlangenſis.

Erlangae.

No.

Digitized by Google

No. XVI.

LITERAE FIDVCIALES
QVAS VOCANT
A LEGATIS ACADEMIARVM
FRIDERICIANAE
TRADITAE.

I.

Magnifice Academiae Prorector,
Viri Summe Venerandi, Illuſtres, Clariſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Subtiliſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimique,

Fautores et Amici honoratiſſimi!

Literas, quas ad nos dediſtis XXVIII. Septembris a. c. boni erga nos affectus pleniſſimas, nimis libenter perlegimus, Vosque illarum authores, a quibus profectae ſunt, venerati ſumus. Pignus uero et indicium capietis praecipui amoris, quo Vos, Academiamque Veſtram complectimur, dum pro honorifica inuitatione ad ſolemnitates dedicandae inclytae Academiae Veſtrae debitas gratias perſoluentes, Collegae, qui nobis in amoribus eſt, D. IOANNI PETRO BANNIZA, V. I. D. REVERENDISSIMI et CELSISSIMI PRINCIPIS noſtri Conſiliario Aulico, ac Iurium Profeſſori publico ord.

ad Vos ablegato id muneris iniunximus, ut inaugurationis ritibus ſolemnibus noſtrum omnium nomine interſit. Quemadmodum autem nobis de ſororio Academiae vinculo et amicitia veſtra gratulamur, ita ſincerum et ſine labe candidum votum fundimus, ut DEVS ter optimus maximus MVNIFICENTISSIMVM Academiae veſtrae FVNDATOREM, SERENISSIMVM MARCHIONEM BRANDENBVRGICO-BARVTHANVM cum AVGVSTA SVA DOMO ſeruet incolumen. Vobis itidem omnibus ac ſingulis proſpera quaeque, et fauſtae ſortis perennitatem comprecamur. Valete, et nobis fauere pergite.

Illuſtrium Celeberrimorumque Nominum Veſtrorum

Dab. Wirceburgi, d. II. Nouemb. CIↃIↃCCXXXXIII.

Cultores deuotiſſimi,
Rector, Decani, ceterique Profeſſores Vniuerſitatis Wirceburgenſis.

In Tergo.

Viris Magnifico, maxime Reuerendis, Illuſtribus et Iurisconſultiſſimis, Clariſſimis, Experientiſſimis, Subtiliſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, Prorectori, Procancellario, ceterisque Profeſſoribus Academiae Fridericianae Erlangenſis,

Erlangae.

II.

Digitized by Google

II.

Magnifice Academiae Prorector, et Procancellarie, Viri ſumme Reuerendi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi, et Excellentiſſimi,

Fautores et Amici honoratiſſimi,

Iam accedent ad vos, vobisque has literas reddent, duo Collegae nobis perchari, et, alter quidem Theologiae, alter Philoſophiae, Profeſſores publici, ac de Academia noſtra bene merentiſſimi, D. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS TRESENREVTER, et CHRISTIANVS GOTTLIBIVS SCHWARZIVS; quibus has partes delegauimus, ut noſtro omnium nomine dedicandae illuſtris Academiae ueſtrae ſolennitati interſint, vobisque uoluntatem noſtram prolixiſſimam, ac pium gratulandi ſtudium, interpretentur, ſiimulque tradant exempla quaedam tabulae publicae, qua etiam noſtratis Academiae ciuibus ſolennia ſacra inaugurationis ueſtrae nota fecimus, eosque ad piorum uotorum ſocietatem ſumus cohortati. Quemadmodum uero confidimus, hos ipſos, quos ablegauimus, hoſpites vobis fore non ingratos; ita iterum iterumque precamur, ut omnia, quae agitis, agetisque, bene proſpereque eueniant, utque DEVS IMMORTALIS, ſummus literarum praeſes atque cuſtos, inclutae Acade-

miae ueſtrae, quidquid ornamenti et felicitatis expeti poteſt, uolens propitius impertiatur!

Venerandorum Celeberrimorumque Nominum Veſtrorum

Dabamus Altorfii
ipſis calendis Nouembris.
A. S. R. CIƆIƆCCXXXXIII.

Cultores ſtudioſiſſimi,
Rector et Profeſſores
Vniuerſitatis Altorfinae.

In Tergo.

Viris, Magnifico, ſumme Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, Prorectori, Procancellario, Decanis, ceterisque Profeſſoribus inclutae Vniuerſitatis Fridericianae Erlangenſis etc.

Dominis Fautoribus, et Amicis noſtris honoratiſſimis,

Erlangam.

No.

Digitized by Google

No. XVII.

EXEMPLA LITERARVM QVAS LEGATIS DISCEDENTIBVS FRIDERICIANA REDDIDIT

I.

Magnifice Academiae Rector,
Viri maxime Reuerendi, Illuſtres ac Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi, Eruditiſſimi Academiae Wirceburgenſis Profeſſores celeberrimi,

Fautores aeſtumatiſſimi!

Quam expetiuimus a vobis officioſe beneuolentiam, Viri Celeberrimi, vt ex venerando Patrum veſtrae Academiae ordine delegare aliquem velitis, cui auſpiciorum Fridericianae nouae noſtrae celebritati non vt ſpectator ſolum intereſſe, ſed illi placide etiam et honeſte immiſceri lubeat: eam gratis erga vos animis agnoſcimus, eiusque nulla vnquam memoriam obliuio delebit. Coram enim teſtatus eſt de veſtra illa in nos humanitate, ornamentum orbis eruditi et peruetuſti Athenaei veſtri, Illuſtris et Iurisconſultiſſimus IOANN. PETRVS BANNIZA, Reuerendiſſimi et Celſiſſimi Praeſulis Herbipolitani et Bambergenſis, Principis ſagaciſſimi, Conſiliarius aulicus, Iuris vtriusque apud vos P. P. O. Isque non litteras modo locupletiſſimas ſtudiorum in nos veſtrorum teſtes reddidit, at quam ſplendido pallio etiam Academico indutus comitem ſe praebuit litteratae ſocietati noſtrae, quum in tem-

Digitized by Google

plum ad inaugurandam conſecrandamque piis precibus et ſermone ſacro Academiam iremus, neque detrectauit vir optimus eſſe in comitatu, quum poſtridie dignae Canditatorum turbae, antiquo ritu brabea diſtribueremus. Nihil, credite, gratius aulae noſtrae, nihil iucundius proceribus, nihil honorificentius Muſis noſtris, iisque omnibus, qui bene cupere nobis tanti putant, accidere potuiſſet. Qui quidem Legatus veſter adeo nos ſua cepit facundia, ſua comitate, ſua, quae et exteris in deliciis eſt, prudentia, vt large praeſentia famam ſuperaret. Eat in omne aeuum ſingulare hoc fauoris veſtri documentum, neque academici faſti, in quibus condendis in praeſens occupati ſumus, de honorifica hac legatione tacebunt. Valete, Viri honoratiſſimi, et in ornanda Franconia noſtra, eiusque litteraria re, in qua magna iam operae pretia feciſtis, ſtrenue pergite. Valete iterum, iterumque, ac fauete

Nominum Veſtrorum Celeberrimorum

Dab. Erlangae, d. VII. Nouemb.
CIƆIƆCCXXXXIII.

Cultoribus,

Prorectori, Procancellario et reliquis Profeſſoribus Academiae Fridericianae Erlangenſis.

In Tergo.

Viris Magnifico, maxime Reuerendis, Illuſtribus et Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Academiae Wirceburgenſis Rectori, ceterisque Profeſſoribus

Wirceburgi.

II.

Digitized by Google

XII.

Magnifice Academiae Rector,

Viri ſumme Reuerendi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimi,

Fautores atque Amici honoratiſſimi,

Etſi multis nominibus laetitiam nobis ex ſolenniſſima, et, quod Dei T. O. M. beneficio debemus, felici Academiae noſtrae Fridericianae inauguratione concipere licuerit: fuit tamen inter praecipua eius momenta veſter in nos fauor, Viri Excellentiſſimi, cuius plura eaque luculentiſſima dediſtis documenta. Sicut enim noſtri officii eſſe videbatur, vt vos ad ſpectanda et condecoranda haec auſpicialia ſacra inuitaremus: ita veſtrae humanitati mertio referimus acceptum, quod iteratis literis prolixa veſtrae in nos amicitiae teſtificatione refertis; quod propoſito, in veſtrae Academiae albo, programmate; quod denique honorificentiſſima nobis legatione duorum ex veſtro ordine Virorum maxime ſpectabilium animum nobis amiciſſimum declarare volueritis. Impoſuiſtis nempe hanc prouinciam Viro ſumme Reuerendo, Domino Christophoro Friderico Tresenrevter S. S. Theol Doctori eiusque Profeſſori publico ordinario, nec non Viro Excellentiſſimo, Domino Christiano Gottlib. Schwarzio, Comiti Palatino Caeſareo et Profeſſori hiſtoriarum ordinario, quos licet ob ſumma in eccleſiam iuxta et rem literariam merita dudum maxime fecerimus: iam tamen eo praeterea nomine digna proſequimur laude, quod interpretes egerint veſtrorum in nos ſtudiorum locupletiſſimos. Gratulati nobis ſumus illorum praeſentiam, non quod teſtes modo publicae noſtrae laetitiae illos videremus; ſed quod eſt certiſſimum amoris

Digitized by Google

atque animi haud alieni indicium, etiam participes. Nullo unquam tempore intercidere patiemur beneuolae, quam ita cognitam nobis atque perſpectam reddidiſtis, mentis memoriam. Illud potius agemus ſedulo, et, ne poſteri agere intermittant, procurabimus, vt, qui eandem vobiscum militamus militiam contribules, perpetuo ſeruemus inter Altorfinam et Fridericianam noſtram mutuorum officiorum neceſſitudinem. Pergite, Viri Excellentiſſimi, ut facitis, bene cupere noſtris rebus. Nos certe pro incolumitate et flore veſtrae Academiae vota concipere, nullo unquam tempore intermittemus.

Nominum Veſtrorum Celeberrimorum,

Dab. Erlangae, d. VII. Nouemb.
CIƆIƆCCXXXXIII.

Cultores ſtudioſiſſimi

Prorector, Procancellarius et reliqui Profeſſores Academiae Fridericianae Erlangenſis.

In Tergo.

Viris Magnifico, ſumme Reuerendis, Iuriſconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Academiae Altorfinae Rectori, reliquisque Profeſſoribus Excellentiſſimis.

Altorfii.

No.

Digitized by Google

No. XVIII.

MONVMENTA HONORIS ET BENEVOLENTIAE NOVAE FRIDERICIANAE

EXHIBITA.

I.

Rector et Senatus Vniuerſitatis Altorfinae.

Vtrum belli, an pacis literarumque, ſtudia plus dignitatis commodique afferant rei publicae, dudum diſputari coeptum eſt? Illud in dubium uenire uix poteſt, utraque cum publica humanae ſocietatis ſalute eſſe coniunctiſſima; pro re nata tamen per ſe uideri indigentia, et altera alterorum auxilio adiuuari ualidius, ſplendidiusque ornari. Bonarum enim artium ſcientiarumque cultus floret cum maxime in pace et quiete; pax autem et quies gentium ſine armis et praeſidio uirtutis bellicae haberi ſeruarique non poteſt; neque arma ſine prudentia et arte recte reguntur. Quoad longiſſime rerum Germanicarum memoria ex priſcis annalibus repeti poteſt, maiores noſtri prius quidem bello, quam literis, floruiſſe commemorantur. Poſtquam autem Principes populique Germaniae, expulſis deteſtandae ſuperſtitionis et barbariei tenebris, chriſtianae religionis ſacra amplexi ſunt, et alii poſt alios in ſocietatem cum diuiniore coetu coaluerunt; tunc, uti pietate et manſuetudine, ita optimarum quoque artium literarumque amore, imbui, et dignum religione animum profiteri, coepere. Adeo nempe amico pulchroque uinculo ueritas chriſtiana, et eruditionis cultura, poſſunt coniungi, ut quaſi mutuo lumine magis illuſtrentur,

atque, ubi pariter excoluntur, ibi utrinque fructus ferant uberrimos. Optimarum enim rerum doctrina omnino deſeruit ſtabiliendae rei chriſtianae, eiusque uſus tam late patet, quam latis amplisque finibus res humanae deſcribuntur. Quemadmodum uero nihil praeclarum, ſimul et oriri, et omnibus numeris expleri perficique, ſolet; ita nec maiores noſtri omnes aequaliter, neque uno eodemque tempore, ſed quaſi per gradus, ad humanitatis et ingeniorum cultum, ſunt traducti. Carolvs magnvs, quo maiorem Principem orbis chriſtianus nunquam uidit, coluitque, uti primus faſces Imperii Romani intulit Germaniae; ita et primus, debellatis impietatis ruditatisque priſtinae monſtris, meliorum artium ſtudia ibidem excitauit, ſcholisque paſſim inſtitutis, non minus publicam, quam chriſtianam rem, mirifice amplificauit. At nec alii deinceps ſummi Moderatores Imperii, Principesque, defuerunt, qui diuinitus excitati de ingeniorum cultu prouehendo identidem cogitarint; uſque dum, poſterioribus demum ſaeculis, ſplendidiora Muſarum templa, maiores illae bonarum artium omniumque ſcientiarum officinae, quas Academias et ſtudiorum Vniuerſitates appellant, foecundo ingeniorum prouentu paſſim exſurgerent. Sic natio bello inuicta, non amplius contenta illa ſua uetere militiae laude, ipſa quoque pacis ornamenta cupidiſſime recepit; neque eas ſolum gentes, quas armis uicerat, ſed etiam ipſius naturae captum, ingeniorum felicitate, ſtudiorumque liberalium praeſtantia, ſuperaſſe viſa eſt. Quae enim eſt pars artis doctrinaeque illuſtrioris, cum uel admirabilem habeat dignitatem, uel publicae conducat utilitati, quam Germani non etiam arripuerint, excoluerint, auxerint, et aliquando ex ſuo ingenio inuenerint, inque tot Academiis, quibus nunc prae ceteris omnibus cultioris orbis nationibus ſeſe efferunt, etiamnum publice doceant, et longe lateque propagent? Faceſſant autem improbae inſulſorum quorundam hominum voces, qui, cum alienae laudi fortunaeque inuideant,

faciunt

faciunt intelligendo, ut nihil intelligant, temereque iaciant, Germaniam noſtram iam Academiarum multitudine, ceu mole quadam, laborare videri, iisque non niſi luxuriantem ſtudiorum pruritum in animis infimae ſortis ſuſcitari, uilemque tandem doctrinarum ubertatem inde naſcituram eſſe. Cuiusmodi ineptos Muſarum obtrectatores illuſtriſſimo exemplo iam retundit SERENISSIMVS ET GENTE PARITER ATQVE ANIMO VIRTVTIBVSQVE SVMMIS GLORIOSISSIMVS PRINCEPS FRIDERICVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, DVX PRVSSIAE, SILESIAE, MAGDEBVRGI, CLIVIAE, IVLIAE, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE, CASSVBIORVM, VENEDORVM, MECLENBVRGENSIVM, CROSSENSIVM, BVRGGRAVIVS NORIMBERGENSIS, PRINCEPS HALBERSTADIENSIS, MINDENSIS, CAMINENSIS, SVERINENSIS, RAZEBVRGENSIS, MOERSENSIS, COMES HOHENZOLLERANVS, ac reliqua. Hic certe SAPIENTISSIMVS PRINCEPS, DEO IMMORTALI duce, in hanc mentem cogitationemque egregiam ingreſſus eſt, ut primus intra principatus ſui fines nouam religionis literarumque ſedem collocet, Brandenburgicaeque imitatione gloriae praemia eruditis conſtituat, et Academiam nouam, quaſi patentiſſimum induſtriae exercendae campum, indigenis iuxta et exteris aperiat, ac, quod omnis mirabitur aetas, grauiſſimo Germaniae tempore, quod et pluribus Academiis condendis antehac contigiſſe nouimus, haud ſecus, ac in ſumma communis patriae tranquillitate, tam pulchrum, ac diuinae gloriae, publicaeque ſaluti, deſtinatum opus, magnis ſane ſumptibus, ſed multo maiore animo, moliatur, feliciterque perficiat. Qua re, quomodo melius rei ſacrae ac literariae prouidere; quomodo pulchrius de ornanda ſocietate humana mereri; et quod certius perenniusque gloriae decus SIBI SVAEQVE DOMVI PRINCIPALI comparare; quod denique praeſtantius ſalubriusque munus regionis ſuae incolis praeſtare potuiſſet? Conſtat inter omnes, liberalibus iſtis ſtudiis uitam hominum ad humanitatem, et honeſtatem, atque omne uirtutum genus, informari. Iam fieri non poteſt, quin, quo plures ſunt, qui ingenuis artibus nauant operam, eo latius probitas, et prudentia, et uirtutes rei chriſtianae ac publicae congruentes,

effloreſcant. EXCELSO igitur TAM MAGNI PRINCIPIS NOMINI, SAPIENTISSIMOQVE CONSILIO, tanto aequius noſtrae quoque Muſae, demiſſiſſimae pietatis ac gratulationis teſtandae cauſſa, nunc aſſurgunt: quanto magis mentibus noſtris infixum, annalibusque Academiae noſtrae conſecratum eſt, quod IS, anno huius ſaeculi decimo ſeptimo, coetum hunc eruditum principali praeſentia ſua illuſtrauit, ac iam tum PRINCEPS IVVENTVTIS, cuius manum adhuc in tabulis noſtris academicis reuerenter exoſculamur, ſingulari literarum uirtutumque amore omnium animos ad ſui admirationem uenerationemque conuertit, atque in iſto primo aetatis flore eam, quam nunc exſerit, mentis ad gloriae aeternitatem adſpirantis magnitudinem claris indiciis auguriisque oſtendit. Cum ergo ſoleniſſimae dedicationi recentis Muſarum domicilii dictus ſit dies IIII. Nouembris anni labentis; nosque ab eius incluto Senatu academico ad partes publicae laetitiae ac congratulationis humaniſſime ſimus inuitati: pro communi literarum amore, non poſſumus, quin tam egregio et omni poſteritati ſuſpiciendo inſtituto uenerabundi laetique applaudamus, et INDVLGENTISSIMO PRINCIPI, MVNIFICENTISSIMOQVE CONDITORI ALMAE ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS, itemque SERENISSIMAE EIVS DOMVI, proſperrimos rerum conſiliorumque ſucceſſus, et omnis excelſae fortunae perennitatem, piis animis apprecemur; neque minus auſpicatiſſimam exſurgentis ſcientiarum uirtutumque ſacrarii originem, fortunatiſſimumque progreſſum, piis uotis, bonisque ominibus, proſequamur. Ad quorum uotorum ſocietatem uos etiam, CIVES NOSTRAE ACADEMIAE CHARISSIMI, peramanter uocamus, monemusque, ut, ubiubi fueritis, ſiue iſta auſpicalia ſacra praeſentes ſpectetis, ſiue abſentes honori felicitatique Academiae ſplendidiſſimo ritu inaugurandae faueatis, prae ceteris pietatem modeſtiamque ſingularem, in qua praecipua pars laudis ueſtrae commendationisque ſita eſt, teſtatam faciatis.

P. P. XXX. OCTOBR. A. S. R. CIƆ IƆ CCXXXXIII.

Digitized by Google

II.

CARMEN GRATVLATORIVM
RECENS CONDITAE
ACADEMIAE ERLANGENSI
DICATVM
AB
INCLVTA VNIVERSITATE TVBINGENSI
DIE IV. NOVEMBR. CIϽ IϽ CCXXXXIII.

Digitized by Google

Ergo inter medias turbas, bellique tumultus,
Impiger exertum vibrat cum Marspiter enſem,
Clamoſos inter lituos, et ſaeva tubarum
Murmura, queis profugae nequeunt excedere terrae,
Semper adhuc placidis ſua conſtant otia Muſis,
Iamque nouae calamum noſtrum meruere Camoenae.
Fallimur, an ſpecimen; quo vix extantius vllum,
Dat nobis hodierna dies? Tuus, ô Baruthum,
Phoſphorus, et plenae lux iam praenuncia lucis.
Quippe quod in cupidam tacite modo dixerat aurem
Fama ſuſurratrix, fati praeſaga futuri,
Id pleno, iam nil dubitans, ebuccinat ore:
Vrbs peramoena iacet ſpatioſi ad littora Moeni,
Quam vitreis fluuius Rednizius alluit undis,
Chriſticolae ducens a nomine nomen et omen,
Iucundoque ERLANGA ſimul cognomine dicta,
Planities illam viridis, gemmataque campi
Iugera, odoriferis decorati floribus horti,
Fertilitasque ſoli, platearum aequabilis ordo,
Tectorumque nitor, vel quicquid amabile porro
Ciuibus antiquis iam commendauerat ante.
Nunc noua progenies oris enaſcitur iſtis,
Quaeque urbs ante fuit, mutato nomine paulo,
Auſpiciis Superum, generoſo PRINCIPIS almi

Digitized by Google

Munificoque animo iam nunc Academica ſedes
Dicitur, et doctis ſacrata ſororibus aula.
Sic, quae frondiferis habitabant montibus olim,
Caſtaliae, loca nunc adamant declivia Muſae.
MARCHIO, ſtructura Princeps digniſſime tanta!
Iure Baruthinae gemino nunc gloria terrae
Atque Pater, ſummi nutus cui Numinis iſtud
Egregium commiſit opus; ſtimulosque frequentes
Addidit, adiecitque animum viresque miniſtrat.
Poſt ſuperam, quam cernis, opem, quam laetus adoras,
Acceptumque refers cui ſedulus omnia, totus
Eſt labor hicce TVVS, TVA quem ſapientia primum
Commeditata fuit, tum munificentia fouit,
Impoſuit pulcrum conſtantia denique finem.
TE non ambitio, TE non inſana cupido,
Non coecus quidam ſtimulus, nec prodiga rerum
Luxuries, nec friuola quaelibet altera cauſſa,
Quin quidam genuinus amor virtutis et artis,
Huic, ò MECAENAS, voluit ſupereſſe labori.
En! operis quam iam alta TVI faſtigia ſurgant,
Ipſismet ſeris miranda nepotibus olim!
Cernis adeſſe Viros, quos ad TE Nominis ultro
Traxit fama TVI, numerumque coëgit in unum.
Queis TVA dicta ſequi, TVA porro capeſſere iuſſa,
Ac ERLANGENSIS famam amplificare palaeſtrae,
Pulcrum erit omnino, laudique et ſuaue futurum.
Iamque opus exegit TVA mens, TVA maſcula virtus,
Letheae deſes quam nullo iniuria ſecli,
Nec poterit liuor, nec edax abolere vetuſtas.
TV belli ſtrepitus inter fulgentiaque arma,
Queis Europaei partem Mars concutit Orbis,
Tranquillas ſtudiis inſignibus extruis aedes,
Et nunc magnificum ſtatuit TIBI fama tropaeum:
Semper honos nomenque TVVM laudesque manebunt.
Per TE ſideribus ſeclis ERLANGA futuris

Inſerat alta caput celſumque aequabit Olympum.
Proſpicimus gaudente animo, iamque ante uidemus
Egregias celebresque artes, quas ordine iuſto
Et ſolide ſedes iſthaec inſtructa docebit.
Prima ſuum extollet ſuauiſſima filia coeli,
Theiologia, caput, diuinaque dogmata tradet,
Et fidei articulos, et, relligionis amore,
Virtutis cupidos tacita quaſi compede ſtringet.
Sacra Themis, certa quae ponderat omnia lance,
Iura dabit ſolers, et quid ſit fas, quid honeſtum,
Ciue quid indignum contra, legumue rigori
Conueniens, quid non, in pectoris intima ſcribet.
Quae natura ſuo multum tegit abdita peplo,
Herbarum vires artisque arcana medendi,
Telluris facies, Coeli aſtrorumque meatus;
Quid mentem coecis errorum liberet umbris,
Quid mores ornet, quae ſint monumenta vetuſtae
Hiſtoriae pariterque nouae, quae iuſta loquendi
Scribendiue ſimul ratio, pede ſiue caballo,
Haec ore et calamo tradentur ſingula docto;
Haec Erlanga olim, nam gratia Numinis alti
Ipſa adſtat, praebetque noui documenta fauoris.
Quin ergo decies nobis Vrbs inclyta ſalue!
Exoptata Soror noſtrae peramica Tubingae.
Erige laeta caput, celebra ſolennia lucis,
Qua primi iamiam Tibi decernantur honores.
Egregii ſaluete Viri, quos optima quaeuis
Haud dubie ſperare iubent, admittite noſtros
O facili applauſus animo, quibus omnia vocis
Et moliminibus veſtris bona fata precamur,
Sic vos Summus amet, ſic ERLANGENSE Lycaeum,
Quod fere vox eius Germanica ferre uidetur,
Temporis exiguo diſcrimine fiet ADEPTVM.

III.

Digitized by Google

III.

MEMORIAE
INAVGVRATIONIS
ACADEMIAE ERLANGANAE
cIↄ Iↄ CCXXXXIII.

S.

Digitized by Google

Ergo tenetis, quod bene maximus
Iehoua vertat, nunc habitacula,
Vobis, Camenae, quae parauit,
Quem colitis, FRIDERICVS Ipſe.

Tenetis: et quis laetitiae notas
Plauſusque non dat, quilibet optimus,
Num praedicet feliciores
Vos, dubius, noua num loca illa?

O vos beatas ter quater et magis
O vos ſorores! nam fauet adnuens
Votis et auſis dexter adſtat
Cum Patriae Patre Rex Olympi.

Stat pulcra vobis manſio, ſtat bene
Sedes parata et tempore mobilis
Nullo, ſtat et firmata Lege
CAROLI et Imperii verenda.

Hic vos videtis nam genus artium
Florere nunc laetius omne, quid
Quod, quomodo certent diſerti
Tradere veſtra viri ſacrata.

Triſtis viator taedia ſi viae
Iamiam ferenti forſitan obiicis,
Quo nec poteſt ipſe ille nec vult,
Sontica cauſſa moras manendi,

Quam laetus extat, quam genio ſacer,
Si praeter omnem ſpem ſubito ſibi
Ex machina adparet Deus quis,
Poſtque iter et dubium et moleſtum

Tandem

Digitized by Google

Tandem quietis tutaque dat loca:
Tam mente feſta vos merito ſacra
Hac veſtra, Muſae, luce fauſta
Concelebrare poteſtis omnes.

Quum tanta vobis fecerit otia
FRIDRICVS almus, qui Pater et Decus
Veſtrum, nec audet qui carentem
Rem ſuperum valido fauore.

Huc vſque poſtquam ceu ſcaphula hoſpita
Et tenta multum praecipiti Noto,
Alterna certe fata ſors et
Veſtra habuit nimium ferenda:

Erlanga paſſis vtraque brachiis
Occurrit, vt vos exciperet bene;
Et magnum adorans Conditorem, et
Laeta chorum Aonidum ſalutans.

Erlanga mores ſiue quis incolae
Aptos placendo ſeu velit ambitum
Vrbis ſitumque, optata ſedes
Hoſpitiumque bonis Camenis.

Erlanga iam nil amplius inuidens
Laudi propinquae Noridos illius,
Qua floret haec nutrix Mineruae
Doctiloquae artificumque cultrix,

Numquam nocebit grata propinquitas
Iſthic Palaecomes celeberrimae
Francae, addet aſt vicinitas haec
Et ſtimulos magis ipſa virtus.

Quae primus ergo moenia condidit
CHRISTIANVS olim ſidere clarior
Hinc factus, his addit decus nunc
Noſter amor, FRIDERICVS, omne,

Addit: ſuperbum nominis et ſimul
Per ſe decus iam perpetuum facit,
Solum quod impletque omne noſtrum
Et procul hinc loca diſſipata.

Collecta nubes nam velut ardua
Et imbre praegnans, cum fluit, haud modo
  Succurit in queis orta terris,
    Sed ſimul inde plagis remotis;

Diſſeminans hic herbiferis agris
Rores, et illic horrida iugera
  Mulcens aquis deſideratis,
    Vim ſuperans alibi caloris

Nec non vaporum: Sic, cadat vt bene
Tam ciuibus, quam gentibus exteris
  Haec literarum altrix palaſtra
    Expetit optimus Ipſe Princeps.

Fortuna coeptis his modo opem ferat,
Vt cuncta fauſtis auſpiciis eant!
  Nunc vota quisquis duplicato
    Candida poſt genitis luenda haec:

Phoebeiam iſthanc ter Deus Optimus
Sedem ter Almus protegat Ipſemet,
  Illumque ſucceſſu ſecundo
    Saecula per bene multa mactet.

Det Dirigenti haec ſingula Praeſidi,
Cui debet ortum res ſuum et exitum,
  Doctorum et omni concioni
    Det bona quae ſibi quisque fata

Exoptat; omnes hic Aganippidos
Nunc et deinceps quos cupidos iuuat
  Sudare ad undas; reddat ipſe
    Moribus ingenioque cultos.

Conſeruet omnem praecipue domum
Sancte colendam Principis optimi,
  Quem ditiones ſic beantem
    Saecula ſera colant nepotum.

IV.

Digitized by Google

IV.

Die Pflichten

der Ehrfurcht, der Dankbarkeit und der Freude

Bey der geſeegneten Ankunft

Des Durchlauchtigſten Fürſten und Herrn

HERRN

Friederich,

Marggrafens zu Brandenburg, in Preuſſen, zu Schleſien, Magdeburg, Cleve, Jülich, Berg, Stettin, Pommern, der Caſſuben und Wenden, zu Mecklenburg und zu Croſſen Herzogen, Burggrafens zu Nürnberg, Fürſtens zu Halberſtadt, Minden, Camin, Wenden, Schwerin, Ratzeburg und Mörs, Grafens zu Hohenzollern, der Mark Ravensberg und Schwerin, Herrn zu Ravenſtein, wie auch der Lande Roſtok und Stargard ꝛc. ꝛc. des Hochlöbl. Fränkiſchen Kraiſes höchſt-beſtallten General-Feld-Marſchalls und Obriſten über drey Regimenter zu Roß und zu Fus,

Ihres huldreicheſten Stifters

und

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

Als Höchſt Dieſelben

Der Feyerlichen Einweihung

Der von Ihro Durchl. glorwürdigſt errichteten

Univerſität zu Erlangen

den 4. November 1743.

in allerhöchſter Perſon beyzuwohnen gnädigſt geruheten

Unter dem Preiſe der Göttlichen Güthe voll tiefeſter Unterthänigkeit

frolockend entrichtet

von

Ihro Hoch-Fürſtl. Durchl.

unterthänigſten treugehorſamſten

Den ſämmtlichen Profeſſoren der Friedrichsuniverſität zu Erlangen.

Digitized by Google

Digitized by Google

Willkommen in dem Schmuck der grünen Lorberreiſer;
Du Königlicher Held! Heut kommſt du als ein Weiſer:
Zwar ohne Blut und Schwerdt, und ohne Kampf und Sieg;
Doch gröſer im Triumph, als nie kein Cäſar ſtieg,
Wenn er mit trunkner Fauſt die halbe Welt geſchlagen,
Und Fahnen im Gepräng ins Capitol getragen.
Der Erdkreis hat genug des Himmels Zorn gefühlt,
Wann wo ein Held mit Blut den Ehrgeiz abgekühlt;
Geplündert und gewürgt, und manches Volck beſtritten.
Kein Land iſt je ſo arm; es tritt in ſeiner Mitten
Ein Alexander auf. Allein denn ſchämt es ſich,
Fragt nun der Weisheit Mund nach einem **Friederich,**
Der, HERR! wie Du regiert; ſo gros an klugen Sinnen,
Ein Vater und ein **Fürſt** der teutſchen Caſtalinnen!
Hier bleibt der Vorzug Dein; hier ſchallt allein Dein Ruhm.
Der Helikon erthönt: es jauchzt das Heiligthum,
Das Du, O **Fürſt!** erbaut. Die Muſen ſtehn entzücket.
Die Künſte haben ſich mit friſchem Laub geſchmücket,
Und eilen, HERR! auf Dich, und küſſen Dir die Hand.
Europa ſieht dir zu; und alles iſt entbrannt.
Da kommt denn unſer Chor, und ruft von Luſt entglommen:
Willkommen, **Groſer Fürſt: o weiſer Held,** willkommen!

Digitized by Google

Ihr Muſen! wenn ihr jezt von Phöbus Trieben glüht;
So ſchreibt auf unſren Held nur kein gemeines Lied:
Der Marggraf fordert mehr. Diß Erbrecht iſt IHM eigen;
In dem was Fürſten fehlt, ſich als ein Fürſt zu zeigen!
Ein andrer werde gros, wenn er die Ohnmacht drückt,
Und mit geſtähltem Arm ein Volk ins Elend ſchickt,
Auf die Gewiſſen blitzt, und Legionen würget;
Wofür ihm Baals Knecht die Seeligkeit verbürget:
Hier findet in der Angſt der Flüchtling Sicherheit;
Der Marggraf giebt ihm Brod. Die Unſchuld wird erfreut.
Die nun ihr thränend Haupt nach GOTTES Thron erhöhet,
Und unter Dank und Preis für Culmbachs Fürſten flehet.
Wo ſonſt ein ödes Feld und Sand und Wüſte war:
